

Digitized by the Internet Archive  
in 2011 with funding from  
University of Toronto



# DE AUGUSTINI ANTE BAPTISMUM RUSTICANTIS OPERIBUS

DISPUTATIO QUAM ANNUENTE SUMMO NUMINE EX  
AUCTORITATE RECTORIS **P. A. E. SILLEVIS SMITT**, THEOL.  
DOCT., IN FAC. THEOL. PROF. ORD., AD GRADUM  
**DOCTORIS** SUMMOSQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM  
DISCIPLINA HONORES RITE ET LEGITIME CONSEQUENDOS  
PUBLICO AC SOLLEMNI EXAMINI SUBMITTET IN AEDIBUS  
QUIBUS NOMEN „DE WERKENDE STAND”

JOHAN HENDRIK VAN HAERINGEN,

E PAGO WERKENDAM,

DIE IX M. IUL. A. MCMXVII HORA III ET DIM.

---

GRONINGAE APUD M. DE WAAL.



FEB 25 1936

8536

Cum iam academicorum studiorum ultimum quasi miliarium in conspectu sit, in iter confectum respicienti mihi venit in mentem, quot optimorum viae ducum consiliis adiutus, adhortationibus impulsus sim.

Imprimis nomino te, J. WOLTJER, honoratissime promotor, praestantissimi ingenii vir. Tu Latinarum litterarum studia mea provectora moderatus es, tu tam exemplis quam praeceptis mihi profuisti.

Nec minus, R. H. WOLTJER, vir clarissime, gratias ago tibi, qui Graecarum litterarum studia mea optime rexisti, amorem magnopere auxisti. Tu, cum pater tuus infirma esset valetudine, benevolentissime rebus meis adfuisti.

Tu quoque, G. H. J. W. J. GEESINK, vir clarissime, non possum non recordari, quam diserte, quam ingeniose, quam denique urbane me in philosophiam induxeris.

Ceteros quoque professores, ad quorum scholas venire interdum mihi licuit, gratissimo animo memorare debeo.

Qui in gymnasiis Roterodamensibus, primum Erasmiano, deinde Marniciano me docuerunt, eorum erga me in litteris antiquis meritorum nunquam ero immemor.

Ad extremum omnes eos, qui Bibliothecae Universitatis Groninganae praefecti promptis paratisque semper animis operam praestiterunt, egregie mihi emolumento fuisse, lubentissime profiteor.

---





## PRAEFATIO.

Ipse Augustinus Retract. I, I—VI recensuit opera sua, quae nondum baptizatus scripserat. Quorum duo sunt genera: unum eorum, quae ruri, alterum eorum, quae „iam de agro Mediolanum reversus” <sup>1)</sup> scripsit. E prioribus nullum periit; omnia quae Retr. I, I—IV enumerantur, ad nostram pervererunt aetatem.

Proposui mihi de iis solum, quae in agro scripta sunt, operibus agere, quippe quae èt propter locum, ubi orta sunt, èt propter scribendi rationem artemque quasi unam praebeant speciem et ab omnibus ceteris Augustini scriptis discrepent.

Sunt autem hi:

|                   |            |
|-------------------|------------|
| Contra Academicos | libri III, |
| De Beata Vita     | liber I,   |
| De Ordine         | libri II,  |
| Soliloquiorum     | libri II.  |

Accedunt aliquot epistulae.

In numero eorum, qui his opusculis — simulque iis, quae aliquanto post secuta sunt — cognoscendis operam navaverunt, imprimis fuerunt theologi. Quaesitum est, qualis eo tempore Christianus fuisset, qualis philosophus, quibus sententiis et moribus vitam rexisset Augustinus. Quomodo eius religio et philosophia crevisset, hoc est, quod plurimi viri docti explicare atque enodare conati sunt. Id quod iudicari potest ex quattuor librorum inscriptionibus inter se simillimis, quos propter ipsam similitudinem afferro ex pluribus:

<sup>1)</sup> Retr. I, V, 1.

H. A. Naville. St. Augustin, étude sur le développement de sa pensée jusqu'à l'époque de son ordination. Genève 1872.

Fr. Woerter. Die Geistesentwicklung des hl. Aurelius Augustinus bis zu seiner Taufe. Paderborn 1892.

H. Becker. Augustin. Studien zu seiner geistigen Entwicklung. Leipzig 1908.

W. Thimme. Augustins geistige Entwicklung in den ersten Jahren nach seiner „Bekehrung“ (386—391). Berlin 1908.

Duae ante alias quaestiones praevaluerunt,

1a. Quae ratio Augustino intercessisset cum antiquis philosophis.

2a. Quatenus Confessionibus fides adhibenda esset in Augustini conversione et animi statu enarrandis.

Quarum praesertim posterior haud parvam virorum doctorum rixam concitavit <sup>1)</sup>. A quo certamine, quamquam nondum depugnatum esse puto, tamen, quantum potero, abesse malo, quia alia quoque multa interim restant, in quae studium et laborem impendere refert.

Neque solum theologi multa attigerunt, quae philologi animum satis incitare possint, verum etiam ipsorum philologorum studia in his opusculis versata sunt, ad quae attendisse haudquaquam paenitebit.

Ad Harnack statuit hos Augustini libellos perraro legi, cum dicit <sup>2)</sup>: „Die Grundlagen der religiösen Eigenart Augustin's lässt sich am besten an den Schriften studiren, die am wenigsten gelesen werden, nämlich an den Tractaten und Briefen, welche er gleich nach seiner Bekehrung ge-

<sup>1)</sup> Cf. Teuffel. Gesch. der röm. Lit. III<sup>6</sup> § 440, 1 et 5. Sed ne ibi quidem omnes, qui de hac re scripserunt, enumerantur. Inter quos sunt nostrates quoque aliqui; exempli gratia afferam libellum, quem scripsit J. van Rijkevorsel S. J., Augustinus' bekeeringsverhaal critisch onderzocht. Nijmegen, Malmberg, 1911.

<sup>2)</sup> Lehrbuch der Dogmengeschichte III<sup>4</sup> p. 93. annot. 1a.

schrieben hat". Atque recte id quidem: Iniuria iis nondum contigit, ut ex omni parte diligenter et studiose tractarentur. Cuius negligentiae specimen dare non arduum negotium est. Notissimum illud de historia literarum Latinarum opus, quod primus composuit W. S. Teuffel, de Augustini Contra Academicos libris per longam editionum seriem docuit haec: „Anschluss an das gleichnamige Werk des Cicero, auch in der Form eines Gesprächs mit einem Gönner Romanianus, dessen Sohn Licentius und einem anderen Jüngling, Trygetius". Sic etiam hodie legimus pag. 364 sextae editionis, quamvis bene ceteris partibus de Augustini primis operibus merita. Miramur, quae ea verba hucusque servari potuerint. Neque enim Romanianus illis de Academicis colloquiis interfuit; tantummodo ei dedicatum est opus C. Ac. <sup>1)</sup> Accedit quod praeter Licentium et Trygetium duo quoque alii, Alypius et Navigius, dialogi personae fuerunt.

Quod si ea quae nonnulli viri docti de his libris senserunt, aut auxero, aut — interdum enim necesse erit — correxero, et paucis locis ipse aliquid novi monstravero, satis ad tempus a me esse actum putabo.

---

Usus sum editione, quam annis 1679—1700 Lutetiae curaverunt monachi ordinis Sancti Benedictini e congregatione Sancti Mauri.

Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum Vindobonense mihi copiam fecit

Confessionum, quas Pius Knöll vol. 33,

Retractionum, quas idem vol. 36,

Epistularum, quas Goldbacher voll. 34, 44, 57 recensuit.

---

<sup>1)</sup> Melius § 448, 3 . . . Romanianus, dem Augustin seine Bücher de Academicis widmete".

## I. DE LOCO, TEMPORE, PERSONIS.

Quoniam haec Augustini scripta non solum in dialogi formam redacta sunt, sed etiam ex vere habitis dialogis in libros fluxerunt, de loco, de tempore, de personis aptum videtur nonnihil praemittere. Attingentur potissimum ea, in quibus superiorum aliquid corrigendum vel fusius explicandum visum erit.

### I, 1. DE CASSICIACO.

Cum opuscula illa scribebat, Augustinus vivebat in villa Verecundi grammatici. De Ord. I, 5 . . . „statim me contuli ad villam familiarissimi nostri Verecundi”. D. B. V. 31 „Non enim hic grammaticorum formidine laborabimus, aut metuendum est, ne ab iis castigemur, qui res suas nobis ad utendem dederunt”. Cui villae nomen fuisse Cassiciacum legimus Conf. IX, 5 „fidelis promissor reddis Verecundo pro re illo eius Cassiciaco, ubi ab aestu saeculi requievimus in te, amoenitatem sempiternae virtutis paradisi tui”. Hoc solo loco, nisi fallor, villae nomen legitur.

Ubi haec villa sita erat?

Maurinorum Vita <sup>1)</sup> ex verbis quae in Conf. IX, 5 sequuntur

<sup>1)</sup> Vita sancti Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi ex eius potissimum scriptis concinnata. Operum tom. XI. Huic Augustini vitae enarrationi mirum quantum simile est volumen XIII operis viri docti Lenain de Tillemont, quod inscribitur „Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique”. Ex eiusdem voluminis praefatione („avertissement”) apparet Benedictinos et Lenain de Tillemont frequenter secum invicem consilia communicavisse. Sed Benedictinorum vita prius edita est. Operis alterius usus sum editione quae prodiit anno 1732 „à Venise”. Locus de villa Verecundi exstat Vit. II, VI, 2, Mémoires XIII Art. XXXIV p. 83.

(quoniam dimisisti ei peccata super terram, in monte inca-seato, monte tuo, monte uberi) concludunt: „Haec itaque Verecundi villa inter montes sita fuisse videtur” <sup>1)</sup>.

G. Boissier <sup>2)</sup>: „Tout ce qu'on nous en dit, c'est qu'elle était voisine de Milan <sup>3)</sup> et située vers le sommet des montagnes <sup>4)</sup>.

Poujoulat <sup>5)</sup> nisus studiis abbae Biraghi, Mediolanensis civis, in quinta sui operis editione, pristina sententia in melius mutata, contendit olim Cassiciacum fuisse, ubi hodie est Cassago de Brianza.

Bindemann <sup>6)</sup>, dum de Cassiciaco loquitur, in calce paginae annotat „De quantitate animae, c. 31”. Manifesto haec maxime verba capituli 31 significare voluit: „Cum enim nuper in „agro essemus Liguriae, nostri illi adulescentes, qui tunc „mecum erant studiorum suorum gratia, animadverterunt „humi iacentes in opaco loco reptantem bestiolam multi-„pedem” (62). Cui libenter assentior hunc locum ad Cassiciacum referenti; nam in eadem paragrapho stilus ille et tabula non desunt, quae in Cassiciaco semper comites erant (vide infra) necnon Alypius adest, unde concludere velim, non fortuitam brevemque excursionem eos fecisse in agrum Liguriae, sed ibi studiorum et otii communium locum, ibi Cassiciacum fuisse.

<sup>1)</sup> cf. Licentii carmen (epist. Aug. XXVI): „montesque per altos”.

<sup>2)</sup> Études d' Histoire Religieuse IV. Revue des deux Mondes 1888. Tom. 85 p. 59.

<sup>3)</sup> Nusquam disertis verbis legitur, sed recte concluditur.

<sup>4)</sup> Boissier videtur ad Licentii carmen spectare.

<sup>5)</sup> Histoire de St. Augustin I<sup>5</sup> p. 132 sq. Cuius novissima editio non praesto fuit. Idem praefert scripturam Cassiacum, quam Mediolanenses codices praebere dicit (p. 81 ann. 1a), auctore eodem Biraghi, cuius opus doleo quod mihi non praesto fuit; quare Benedictinorum scripturam servavi.

<sup>6)</sup> Der heilige Augustinus. Berlin 1844 p. 285, qui ibidem affert locum e Licentii carmine; vide supra.

Woerter <sup>1)</sup> ex hoc loco (De qu. an. 31, 62) iniuria colligit, e Liguria nomine sequi, ut Cassiciacum a Mediolano Pado fluvio diiuncta fuerit. Liguria enim, quamquam Augusti aetate Pado finiebatur regionem IX<sup>am</sup> amplexa <sup>2)</sup>, post Diocletianum multo latius patebat. Id temporis, quae ab Augusto institutae erant, Regio XI Transpadana et IX Liguria, in unum coniunctae, uno Liguria nomine appellabantur <sup>3)</sup>.

Sicque non debemus assentiri ei, qui in libro, qui inscribitur A Dictionary of Christian Biography s. v. Trygetius scribit: „Trygetius, a young man and fellow citizen with Augustine in Africa, who having served for a time in the army, joined him together with Licentius as a pupil in the house which he occupied at Cassiciacum, and as well as his fellow pupil slept in the same room with him. They also made a vacation excursion together into Liguria de qu. an. 31, 62”. (H. W. P. = Rev. Henry Whright Phillot M. A.) Nam in aperto est, hunc quoque credidisse, Liguriam tum isdem, quibus Augusti aetate, limitibus finitum fuisse.

Aliquoties memoratur „urbs”, quam e villa profecti Alypius et Navigius adierunt <sup>4)</sup>. Quam nullam aliam fuisse nisi Mediolanum ab omnibus viris doctis aequae creditur necnon verisimile est, nomen quod est „urbs” ad metropolin pertinere. Neque ita magno spatio villam a Mediolano afuisse mihi videtur docere Conf. IX, 5. „Benigne tamen obtulit ut, quamdin ibi essemus, in re <sup>5)</sup> euis essemus”. Tam vicina Mediolano

<sup>1)</sup> o. l. p. 67 sq. in calce.

<sup>2)</sup> cf. Marquardt, Röm. Staatsverw. I p. 221.

<sup>3)</sup> cf. Marquardt o. l. I, 234 qui adscribit inter alia: Iordanes Get. 42 „Mediolanum, Liguriae metropolim”. Paul. Diac. de gest. Lombard. 2, 15 „Liguria — in qua Mediolanum est”.

<sup>4)</sup> Contra Ac. I, 5 „Cum enim iter in urbem mihi sit constitutum . . .” De Ord. I, 7 „Nam et Alypius et Navigius in urbem ierant”.

<sup>5)</sup> Duo manuscripti libri pro „re” habent „rure”, quod idem Benedictini receperunt.

erat, ut, in villam profecti, quasi eodem loco (ibi), ubi fuissent, manerent.

Possunt plura dici de villae natura, de arbore solito, de prato, de balneis, quae loca disputando apta erant. Quae apud Poujoulat Bindemann alios satis multa leguntur.

## I, 2. DE TEMPORE.

Paulum novi hic allaturus sum. Breviter tamen haec res explicabitur, quia cohaeret cum quaestione de ordine disputationum, postea tractanda.

Hi sunt loci, quibus calculi de tempore, quo Augustinus in Cassiciaco vixit, maxime nituntur:

D. B. V. 6. „Idibus novembris mihi natalis dies erat.”

C. Ac. III, 43. „Sed cum tricesimum et tertium aetatis annum agam, non me arbitror desperare debere, eam <sup>1)</sup> me quandoque adepturum”.

Conf. IX, 28. „Ergo die nono aegritudinis suae, quinquagesimo et sexto anno aetatis suae, tricensimo et tertio aetatis meae, anima illa religiosa et pia corpore soluta est”.

Haec de Monnicae e vita decessu, qui fuit eo tempore, quo Augustinus in Africam redibat.

Unde factum est, ut Benedictini <sup>2)</sup>, secuti calculos doctissimi viri Lenain de Tillemont <sup>3)</sup>, possent sententiam promere, Augustinum in Cassiciaco Idibus Novembribus annum tricesimum alterum aetatis explevisse, quippe cum èt in Cassiciaco èt matre moriente triginta duos annos natus fuisset. Itaque freti Prospero Aquitano <sup>4)</sup>, cuius Chronicon indicat Augusti-

<sup>1)</sup> sc. veritatem.

<sup>2)</sup> Vitae lib. II, VII.

<sup>3)</sup> Mémoires vol. XIII Note IV.

<sup>4)</sup> Ed. Mommsen, Chronica minora vol. I p. 473. (Ad annum 430) „Aurelius Augustinus episcopus per omnia excellentissimus moritur V kl Sept.”

num mortuum esse mense Augusto anni quadringentesimi tricesimi, necnon Possidio <sup>1)</sup>, qui eundem annos natum septuaginta et sex e vita decessisse narrat, illum Augustini diem natalem anno 386 attribuerunt. Quae temporum explicatio, a Benedictinis eodem capite contra veteres adversarios defensa et corroborata, usque ad nostram aetatem viguit nec a quoquam in dubium vocata est.

De anni tempore praeter illum locum D. B. V. 6 satis indicant:

Conf. IX, 2 „... paucissimi dies supererant ad vindemiales <sup>2)</sup> ferias” (sc. post eius conversionem).

Conf. IX, 7 „Et venit dies . . . . . et benedicebam tibi gaudens profectus in villam cum meis omnibus”.

Conf. IX, 13 „Renuntiavi peractis vindemialibus, ut scholasticis suis Mediolanenses venditorem verborum alium providerent”.

De Ord. I, 7 „... folia, quae autumno . . . decidunt”.

De Ord. II, 1 „quantum in illis locis hyeme poterat, blanda temperies . . .”

### I, 3. DE PERSONIS <sup>3)</sup>.

Colloquiis sive omnibus sive aliquot interfuerunt:

Ipse Augustinus. . .

Monnica <sup>4)</sup> mater eius; filium inscia se Carthagine in Italiam profectum secuta erat. Conf. VI, 1.

<sup>1)</sup> Vita Augustini auctore Possidio inest operum Tom. X Append. III. Ibi cap. XXXI „... vixit annis septuaginta et sex . . .”

<sup>2)</sup> Vindemiae faciendae initium sumebatur mense Octobri. Cf. H. Blümner. Die Römischen Privataltertümer. 1911. p. 578 ann. 2.

<sup>3)</sup> Consule potissimum: Dictionary of Christian Biography et Indices quos Maurini singulis tomis addiderunt.

<sup>4)</sup> Sic Benedictinis scribendum visum est, imitatis „vetustos codices”; vide ad Conf. IX, 37.



Navigijs, Augustini frater. Partes non ita magnas sustinet. Laborat splene vitioso. D. B. V. 14.

Licentius, filius Romaniani, ad quem libri C. Ac. dedicati sunt. Hic Licentius omnibus colloquijs interfuit. Valde eum magister diligebat <sup>1)</sup>. Iam tum poeticae studiosior quam philosophiae, ab Augustino in melius mutatus, postea a doctoris mente recessit; cf. eiusdem carmen in Aug. epist. XXVI <sup>2)</sup> et eandem epistulam, in qua ab Augustino vituperatur, necnon epist. XXVII, XXXII.

Alypius, item Thagastensis, Augustino amicissimus a primis annis; cf. Conf. VI, 11 et passim.

Quaesitum est, fraterne hic fuerit Licenti eoque filius Romaniani. Paulinus Epist. Aug. XXXII Licentium monet: „Frater Alypius est Augustinusque magister, Sanguinis hic consors, hic sator ingenii” (vss. 83 et 84). Epist. XXVII, 5 Augustinus ad Paulinum de Romano: „Est enim aliud, quo istum fratrem (Romanianum sc.) amplius diligas; nam est cognatus venerabilis et vere beati episcopi Alypii”.

A Dict. of Chr. Biogr. <sup>3)</sup> concludit: „Besides Licentius Romanianus appears to have had another son, Olympius <sup>4)</sup>”. Quamquam C. Ac. II, 16 sqq. ostendunt, Licentium fratrem habuisse, nihil tamen est, cur hoc naturali vinculo cum Alypio eum iunctum fuisse, suspicemur, nisi locus ex epist. XXXII allatus. Wernsdorf <sup>5)</sup> iure miratur cur, si Romanianus Alypii pater fuerit, cognatus tantum Alypii dicatur in Epist. XXVII, cum praesertim Licentius definite ubique filius

<sup>1)</sup> cf. W. Thimme. Zeitschrift für Kirchengeschichte, XXIX Band pag. 1—21.

<sup>2)</sup> Operum Tom. II; C. S. E. L. 34, 2.

<sup>3)</sup> i. v. Romanianus.

<sup>4)</sup> Peccavit typographicus; paulo inferius recte „Alypius” scriptum est.

<sup>5)</sup> Poetae Latini minores. 1785. Tom. IV pag. 504 sqq.

Romaniani appelletur. C. Ac. I, 25 „patri tuo”, C. Ac. II, 8 „filius tuus” et passim; ep. XXVII, 6. „filium autem eius” (sc. Romaniani). Fortasse Paulini verba ita accipienda sunt, ut fratrem dicat pro „fratre patrueli”, qua brevior locutione saepius Latini scriptores utuntur.

Trygetius, omnium dialogorum particeps; civis et discipulus Augustini D. B. V. 6; De qu. an. 62. A militia redierat, honestarum artium ardentissimus et edacissimus C. Ac. I, 4; historiam adamaverat De Ord. I, 5.

Adeodatus, filius Augustini, minimus natu omnium, uni de Beata Vita sermoni interfuit. D. B. V. 6.

Lastidianus et Rusticus, consobrini Augustini, „nulum vel grammaticum passi” uni de Beata vita sermoni et ii interfuerunt. D. B. V. 6.

Restat ut nominemus viros, ad quos libri dedicati sunt.

Romanianus, communiceps amicus fautor Augustini, C. Ac. II, 3 et 4, pater Licenti, cognatus Alypi, philosophiae cupidissimus, sed vinctus curis familiaribus. Conf. VI, 94. C. Ac. I, 1 sqq. Postea his curis liberatus est. Epist. XV.

Theodorus, ad quem liber D. B. V. dedicatus est; eius nomen legitur De Ord. I, 31; D. B. V. 5; Retract. I, II <sup>1)</sup>.

Zenobius, cui dedicati sunt libri II De Ordine. Ad eundem data est epistula II, de qua Wolfsgruber-Rauscher <sup>2)</sup>: „Zart drückt Augustinus seine und der Seinigen Sehnsucht nach dem Adressaten aus, der jeden freien Augenblick, den ihm seine Geschäfte gönnten, benützte um von Mailand nach Cassiciacum zu eilen”.

Quod non video unde petiverint viri docti. In epistula villae nulla mentio fit et ne significatur quidem. Porro inspiciamus

<sup>1)</sup> cf. Alberti Petri Pauli f. Rubenii Dissertatio de vita Fl. Mallii Theodori. Ultraieci MDCXCIV; Seeck in praef. editionis Symmachi p. CXLVIII.

<sup>2)</sup> Augustinus. Paderborn 1898. p. 113.

De Ord. I, 20. „Nam Zenobius noster multa mecum saepe de rerum ordine contulit, cui alta percontanti nunquam satisfacere potui seu propter obscuritatem rerum, seu propter temporum angustias. Crebrarum autem ille procrastinationum usque adeo impatiens fuit, ut me, quo diligentius et copiosius respondere cogerer, etiam carmine provocaret et bono carmine, unde illum magis ames. Sed neque tunc tibi legi potuit ab istarum rerum studio remotissimo, neque nunc potest. Nam profectio eius tam repentina et perturbata fuit tumultu illo, ut nihil istorum venire nobis in mentem potuerit: nam id relinquere mihi responsuro statuerat; et multa concurrunt, cur ei sermo iste mittatur. Primum est, quia debetur; deinde, quia cuiusmodi nunc vitam ducamus, etiam sic indicare eius in nos benevolentiae decet; postremo, quod in gaudio de spe tua nemini cedit. Nam et cum praesens esset, pro familiaritate patris tui, vel potius omnium nostrum, multum sollicitus erat ne ingenii tui quaedam scintillae, quas diligenter animadvertabat, non tam conflarentur cura mea, quam tua extinguerentur incuria. Et cum te poeticae quoque studiosum esse cognoverit, sic gratulabitur, ut eum mihi gestientem videre iam videar”.

Ex quo loco efficere licet:

1. Carmen a Zenobio compositum esse antequam in Cassiciaco vivere coeperunt. Nam hoc de rerum ordine carmen ortum est eo tempore, quo Licentius „remotissimus” erat a philosophiae studio. (Sed neque tunc . . . remotissimo) Talibus autem studiis in Cassiciaco inde ab initio incubuit. cf. C. Ac. I, 4. „Nam disputationem, quam inter se Trygetius et Licentius habuerunt . . . tibi misi. Pauculis . . . diebus transactis, posteaquam in agro vivere coepimus . . . volui tentare pro aetate quid possent: praesertim cum Hortensius liber Ciceronis iam eos ex magna parte conciliasse philosophiae

videretur". Significari videtur tempus, quo Augustinus Mediolani rhetor erat.

2. Idem carmen a Zenobio, cito profecto, non relictum, ne tunc quidem praesto fuisse („sed neque tunc — statuerat"); Neque igitur Zenobium veri simile est amicos ruri viventes vidisse; alioquin carmen iis tradere potuerat. Quod idem certius affirmatur tertia conclusione.

3. Zenobium non satis scisse, quid amici agerent.

„Deinde quia cuiusmodi nunc vitam ducamus, etiam sic indicari eius in nos benevolentiae decet".

Neque his igitur neque aliis locis illa de Zenobio in Cassiciaco interdum versato sententia recte fundatur.

Quod si iure Benedictini suspicantur Zenobium subindicari Solil. II, 26 his verbis: „Ille autem alius novit quidem pro familiaritate ardorem nostrum, sed ita longe abest et ita nunc constituti sumus, ut vix ad eum epistulae mittendae facultas sit. Quem credo iam otio Transalpino etc." — si, ut dixi, his verbis Zenobius significatur, vix credendum esse puto Zenobium, quocum ipsum epistularum commercium difficile esset, nonnunquam in Cassiciacum properavisse.

## II. DE DIALOGORUM GENERE.

### II, 1. DE AUGUSTINO SCRIPTORE.

Nullam fere rem Augustinus attigit, quin novi aliquid et magno suo ingenio digni promeret. Cum de rebus minime recentibus vel a se primo tractatis saepe agat, modo hac modo illa capimur sententia è veritate è elegantia insigni et eiusmodi, ut superiores vicerit, posteris exemplo fuerit.

De Academicis disputans, eorum de „veri simili” opinionem impugnavit ille quidem ut alii, sed magnum quiddam et sublime in ea latere sibi videri exposuit <sup>1)</sup>. Quod si non verum est, ingeniose certe est inventum <sup>2)</sup>.

Nostrae aetatis hominem nobis videmur audire Solil. II, 1: „Tu, qui vis te nosse, scis esse te? Scio. Unde scis? Nescio. Simplicem te sentis, ane multiplicem? Nescio. Cogitare te scis? Scio”.

Cum vitae suae imaginem expressurus esset, quam proprium et antea inauditum, aptum tamen et grave scribendi genus sibi sumpsit, quod cum fidei Christianae tum bonis literis congrueret!

Ut Confessiones, ita eiusdem Retractationes testantur animum ad novas literarum formas excogitandas acutum, trita viā haudquaquam contentum <sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. potissimum C. Ac. III, 37 sqq.

<sup>2)</sup> „Suspiciosius fortasse quam certius” (Epist. I). Cf. meae disputationis cap. IX.

<sup>3)</sup> Cf. Harnack, Sitzungsber. der kön. Preusz. Ac. v. Wiss. 1905, p. 1096. (Ibidem p. 1126 per errorem verba Retr. I, II ad libros de ordine relata sunt, quae ad librum D. B. V. spectant).

Nominentur Soliloquia <sup>1)</sup>, quod nomen novum novo generi imposuit.

Non primus Augustinus de beata vita meditatus est. Nihilominus quicumque eius de B. V. librum legerit, magnopere erit delectatus hoc in „convivium animorum” <sup>2)</sup> redacto opere.

Ipsum dialogi genus, quod tam usitatum inde ab antiquissimis temporibus viguerat et optimo cuique serviverat, ita in usum suum mutavit, ut antiquorum morem ornavisse potius quam imitatus esse videatur.

Quo peculiari genere dialogorum cum praecipue in Cassiciaco Augustinus usus sit, de eo fusius hic agendum est.

## II, 2. QUID PECULIARE SIT.

Inter omnes, qui in Cassiciaco scripti sunt, libros nullus exstat, in quo non legimus disputationes inter loquendum statim perscribi solitas esse. Modo notarii modo stili et tabularum mentio fit.

Loci sunt hi <sup>3)</sup>:

C. Ac. I, 4 „Adhibito itaque notario, ne aurae laborem nostrum discerperent, nihil perire permisi”:

C. Ac. I, 15 „cum iam stilum nox impediret”.

C. Ac. II, 29 „Nunc antequam stilum nostrum tenebrae occupent”.

C. Ac. III, 15 „istum stilum . . . quasi aurigam moderatoremque sermonis mei esse volui”.

C. Ac. III. 44 „aliquid lucernā illata scriptum erat”.

D. B. V. 15 „Atque ego semel praeceperam ut nullum verbum praeter litteras funderetur”.

<sup>1)</sup> Solil. II, 14.

<sup>2)</sup> D. B. V. 9.

<sup>3)</sup> Partim iam apud D. Ohlmann, De S. Augustini dialogis in Cassiciaco scriptis. Diss. Argentorati MDCCCXCVII, p. 8.

D. B. V. 18 „Quae verba pueri sicut dicta erant cum conscribi mihi placuisset”,

De Ord. I, 5 „adhibito sane stilo quo cuncta exciperentur”.

De Ord. I, 27 „legent litteras nostras, quoniam instituimus iam de istis rebus verba non perdere”

De Ord. I, 30 „... ut parcas etiam tabulis”.

De Ord. I, 31 „Cuius et ingressum et rogationem cum scribi nostro more iussissem”,

De Ord. I, 33 „... neque tabulae reliquae forent”,

De Ord. II, 21 „... quae te amittere stilus iste non sineret”.

Omnes igitur disputationes tabulis excipiebantur neque per compendium sed integra cuiusque verba perscribi indicant D. B. V. 15 „Atque ego semel praeceperam, ut nullum verbum praeter litteras funderetur”: C. Ac. I, 4 „nihil perire permisi”; De Ord. I, 5 „adhibito sane stilo, quo cuncta exciperentur”.

Dubitationem movere potest D. B. V. 18 „Quae verba pueri, sicut dicta erant, cum conscribi mihi placuisset...”, tanquam si haec Adeodati verba tum ita, ut dicta essent, conscripta sint, ceterorum non item. Id quod reliquis locis de stilo, notario etc. repugnaret. Cur igitur hoc Augustinus de filio potissimum addit, cum iam satis notum esset omnia ita notis excipi? Causam invenire non difficile est. Adeodatus miro ingenio praeditus erat: D. B. V. 6 „Erat etiam nobiscum aetate minimus omnium, sed cuius ingenium, si amore non fallor, magnum quiddam pollicetur, Adeodatus, filius meus”. Eius mentis acumen paene aetatem antecessisse et incredibile fuisse videtur, ut apparet etiam ex Conf. IX, 14, unde laudo: „Horrori mihi erat illud ingenium”. Propter hoc incredibile pueri ingenium de industria hic annotat, eius quoque verba, ut dicta essent, esse conscripta, ne quis putaret, patrem amore adductum tam magna filio attribuisse. Certe valde memoria

digna fuerunt haec verba Adeodati: „Quomodo, inquit, castus esse potest, qui ab illicito tantum concubitu abstinens sese, ceteris peccatis non desinit inquinari?” Haec enim audiebantur ex ore pueri, qui ipse erat proles e concubitu nata (Conf. IV, 2; IX, 14). Praeterea ipsius patris animi statum ex aliqua parte purgati, ceteris immunditiis immorantis, accurate sic enarraverat (cf. De Ord. I, 29 „Satis mihi sint vulnera cett.”; Solil. I, 17—25).

Hae tabulae Augustino subsidio erant, quotiescunque easdem disputationes in librum conferre volebat. De Ord. I, 30 postquam discipuli iram magistri commoverunt atque iracundi verba omnia patienti stilo, solito more, perscripta viderunt, orant ne dicta maneant: „Modo illud obsecramus per omnia quae diligis, ut . . . illa omnia deleri iubeas; simul ut parcas etiam tabulis, quas iam non habemus. Non enim aliquid in libros translatum est eorum quae a nobis multa disserta sunt”. Hic Benedictini annotant: „Inscribebant primum tabulis; hinc porro in libros transferebant” <sup>1)</sup>.

Plures sunt loci, quibus sive de disputationibus in libros transferendis sive de libris tantum sermo est:

C. Ac. I, 4 „nam disputationem . . . relatam in litteras tibi misi”.

C. Ac. I, 25 „Quamobrem iam istam . . . disputationem terminemus et relatam in litteras, mittamus, Licenti, potissimum patri tuo”.

C. Ac. II, 10 „Post primum sermonem, quem in primum librum contulimus . . .”

C. Ac. II, 22 „referri in litteras volui”.

De Ord. I, 5 „adhibito stilo . . . . . ut, si quid nostrum litteris mandare placuisset . . .”

<sup>1)</sup> Cf. Ohlmann p. 21 ann.



De Ord. I, 14 „oro te, si haec quae a nobis dicta sunt, litteris, ut instituisti, mandata pervagentur paulo latius . . .”

De Ord. I, 26 „ . . . opuscula in hanc libelli partem contulimus”.

De Ord. I, 30 vide supra.

De Ord. I, 33 „Cum . . . viderem tam multa nos verba fudisse, ut neque scribenda non essent et iam libri modus esset, neque tabulae reliquae forent, placuit quaestionem differri”

De Ord. II, 1 „in quadam disputatione non parvae rei, quam . . . . . in libellum contuli”.

Inter quos nonnullos reperias, qui ad utrumque (tabulas et libros) fortasse pertineant.

E Soliloquiis nullum locum attuli, cum, quidquid de iis dicendum videtur, separatim tractare malim.

Ceterum totum hoc de libris conficiendis suo loco persequendum est <sup>1)</sup>.

Hic iam satis sit bene distinxisse: Tabulis verba mandabantur, quoad sermones habebantur; libri scribebantur aliquanto — utrum multo an paulo non ubique liquet — post sermones habitos.

## II, 3. QUID OHLMANN HIRZELIO OPPOSUERIT.

Aliud negotium prius suscipiendum est. Nam Hirzel <sup>2)</sup> totum hoc de notario, de stilo, de statim conscribendo in dubium vocavit et ab Augustino id fictum esse, suspicatus est. Sed ipsius verba partim audiamus: „Die Dialoge sind, wenn auch nicht geradezu historisch, wie man gemeint hat \*), so doch typisch und fassen eine Reihe wirklicher Gespräche, wie er sie namentlich in Kassiciacum geführt hatte, zu einigen

<sup>1)</sup> Cap. VI huius libri.

<sup>2)</sup> Der Dialog II, 376sq.

Gesamtbildern zusammen. \*) Es beruht dies auf Augustins eigener Äusserung C. Ac. I, 4, dass ein „notarius“ zum Aufzeichnen des Gesprochenen angestellt worden sei. Aber kann dies nicht Fiktion sein? Dieselbe Fiktion in der Pistis Sophia S. 23, 8, Schwartz, S. 47ff“.

Contra quem D. Ohlmann composuit primum caput disputationis <sup>1)</sup> suae, quod inscribitur: „Num ut Ciceronis ita Augustini illi dialogi sint ficti“. Qui ex aliis Augustini operibus argumenta collegit:

Conf. IX, 7 „ . . . libri disputati cum praesentibus“.

Retr. I, II „ . . . constitit inter nos, qui simul quaerēbamus“.

ibid. „ . . . tridui disputatione completus sicut satis ipse indicat“.

Affert etiam Retr. I, 3, ubi Augustinus in libris De Ordine recensendis narrat, se in disputando ad aliud sermonis argumentum transiisse „cum“, inquit, „rem viderem ad intelligendum difficilem satis aegre ad eorum perceptionem, cum quibus agebam, disputando posse perduci . . .“

Postquam Ohlmann persuasit, dialogos, qui in Cassiciaco orti sunt, non esse fictos „Ciceronis more“, deinde concedit <sup>2)</sup>, dialogos de qu. an. et de lib. arbitr. eos quidem esse fictos. Sed cave putes hos Ciceronis more esse fictos. Neque ipse id contendit. Multum enim interest inter hos et Ciceronis dialogos, cum revera Augustinum de his rebus antea collocutum esse neque libros conscripsisse nisi post pertractatas quaestiones testetur Retr. I, 9. Sed nusquam de notario, de stilo, de coeli nitore, de labore diurno, ut in Cassiciaco, docemur. Non offeruntur hi dialogi, tamquam si vere ita habiti sint, ut scriptos eos legimus. Quamquam non ita multum litteras a verbis

<sup>1)</sup> o. l. p. 8—17.

<sup>2)</sup> p. 17.

discrepare demonstrare velim ex Epist. 162, 2, ubi Augustinus Evodio rescribit, ut quaestiones, quas proposuerat, ipse concludendo solvat ex iis, quae inter se disputaverint in libris de lib. arb. et de qu. an. „Quamquam et illa si relegas, quae tibi iam diu nota sunt, vel, nisi fallor, fuerunt, quia ea fortasse oblitus es, quae te conferente mecum ac sermocinante conscripsi, sive de animae quantitate, sive de libero arbitrio, invenies unde dissolvas, etiam sine mea opera, dubitationes tuas . . .”

#### II, 4. QUORSUM TALES DIALOGI SPECTENT.

Iam Ohlmann <sup>1)</sup> observavit, commentariorum diurnorum (ephemeridum) speciem hos Augustini libros referre. Id quod certam habere causam puto. Haec nova litterarum forma non solum huic servivit proposito, ut eorum, qui legerent, animos delectaret, sed alio quoque consilio electa est.

Iam dudum antequam „actu” <sup>2)</sup> de publica vita decessit, Augustinus arserat amore otiosae vitae, quae philosophandi copiam daret. Conf. VI, 24: „Et multi amici agitaveramus animo et conloquentes ac detestantes turbulentas humanae vitae molestias paene iam firmaveramus remoti a turbis otiose vivere, . . .”

Non bene res tum successit. Vetere more pergit vivere, iactatus hinc amore vitae Christianae, illinc cupiditatibus huius mundi. De die in diem rem differt, quoad Platonica philosophia et lectus apostolus Paulus, adhortantibus Ponticiano et Simpliciano, satis eum praeparaverunt ad fortiter peragendum, quod tam diu secum versaverat, consilium secedendi. Conf. VIII, 18—30 docent, ut, divinitus ita iussus,

<sup>1)</sup> o. l. p. 14.

<sup>2)</sup> Conf. IX, 7.

tandem vincula disruperit et cum ab uxore quaerenda, tum a continuanda rhetorica professione desistens — id quod etiam pectoris dolor cogebat — laeto animo profectus sit in villam Verecundi <sup>1)</sup>).

Quid mirum, si, cum ibi esset, amicorum non oblivisceretur, si eos quoque sui boni participes volebat esse, si eos certiores faciebat, revera non parvae rei esse eam, quam diu cupivissent, diu speravissent, vitam otiosam, Deo et philosophiae deditam? Pretiosa haec tempora penitus vult gustare, unumquidque sive dictum sive gestum magni aestimat, litteris mandat, amicis enarrat. Quare, qui singulis diebus adsint, quomodo noctes agantur et dies, quid novae lucis sibi et suis aperiatur, quam diligentissime refert. Romanianum praeter ceteris de Licenti filii progressu in religione et philosophia docet.

Digna, sunt, quae hic adscribantur, ea quae ad Zenobium scripta legimus De Ord. I, 4: . . . „qualemque vitam nos vivamus carissimi tui et quem fructum de liberali otio carpamus, hi te libri satis, ut opinor, edocebunt”.

Et De Ord. I, 20: „ . . . quia cuiusmodi nunc vitam duca-  
mus, etiam sic indicari eius in nos benevolentiae decet”.

Et D. B. V. 5: „Quid autem agam, quoque modo ad istum portum (philosophiae sc.) necessarios meos congregem, ut cognoscas . . . initium disputationum mearum . . . ad te scribendum putavi”.

Quare omnia sic expressit, ut quasi oculis ea cernere videamur.

<sup>1)</sup> Cf. C. Ac. II, 4 sq.

### III. QUID INTERFUERIT INTER DIALOGOS HABITOS ET LIBROS SCRIPTOS.

#### III, 1. NON OMNIA EX TABULIS IN LIBROS TRANSLATA ESSE.

Singulos de notarii stilo locos iam supra <sup>1)</sup> enumeravi. In quibus inveniuntur, qui satis ostendunt, accurate singula perscribi solere.

C. Ac. I, 4 „nihil perire permisi”.

D. B. V. 15 „praeceperam, ut nullum verbum praeter litteras funderetur”.

De Ord. I, 5 „... adhibito sane stilo, quo cuncta exciperentur”.

Nusquam vero legimus, omnia ita ut dicta essent, in librum esse translata. Digna sunt, quae legantur, ea, quae ad Romanianum in prooemio libri I C. Ac. scripta sunt: § 4. „Sane „in hoc libro res et sententias illorum, mea vero et Alypii „etiam verba lecturus es”.

Ohlmann <sup>2)</sup> et Thimme <sup>3)</sup> hanc rem attigerunt. Utriusque sententia eo inclinatur, ut putent, Augustini tantum et Alypii verba satis diligenter esse relata.

Ut clare et distincte rem tractemus, observandum est, verba quae in fine prooemii libri I leguntur („Sane . . . lecturus es”), ad istum librum pertinere („in hoc libro”). Possunt sane

---

<sup>1)</sup> cap. II, 2.

<sup>2)</sup> o. l. p. 9.

<sup>3)</sup> Zeitschrift für Kirchengeschichte XXIX p. 7.

quodammodo ad reliquos quoque in Cassiciaco scriptos libros referri; praecipue tamen in eo valent libro, cui praemissa sunt.

Thimme <sup>1)</sup> arbitratur, praesertim in § 19 plurima Trygetio attributa esse, quae Augustinus ipse in scribendo addiderit, quippe cum maiora sint, quam ut iuvenili menti congruant. Recte fortasse. Attamen Trygetium ubique apparet fuisse maturiorem et dociliorem quam Licentium. Fieri potest, ut èt aetate èt eruditione socium antecesserit.

C. Ac. II, 18. Trygetius Licentium vituperat.

ib. II, 20. Succedit in locum Licenti, iam victi ab adversario.

De Ord. II, 7. Laudatur, quod graviorem sententiam, ab Augustino aliquando prolatam memoria tenuit.

D. B. V. 36. Trygetius orat, ut saepius disputent.

### III, 2. NON MULTUM A TABULIS RECESSUM ESSE.

Quoquomodo res se habet, hic primus liber ita Romano offeritur, ut ipsam disputationem se accipere putare debeat. Cf. § 4. „Nam disputationem, quam inter se Trygetius et Licentius habuerunt, relatam in litteras, tibi misi”. Quare credimus, non ita multum distare librum scriptum a verbis. <sup>2)</sup>

Quamquam haec de I C. Ac. libro solo dicuntur, non is audax erit, qui concludat in ceteris quoque libris non multum a notarii tabulis discessum esse. Denuo afferam locum De Ord. I, 5, „ . . . adhibito . . . stilo . . . Simul ut si quid nostrum litteris mandare placuisset, nec aliter dicendi necessitas, nec labor recordationis esset”. Quorsum hoc spectat, quod legimus: „nec aliter dicendi necessitas”? Si sermones sine ulla scriptura

<sup>1)</sup> l. l. p. 7 ann. 1.

<sup>2)</sup> Accedit, quod librum I C. Ac. ipsorum adolescentium opus fuisse aliquot loci testantur. Cf. ann. ad cap. VI, 2.

habiti essent, fieri non potuerat, quin multa de memoria exciderent. Itaque in conscribendo libro necesse fuisset, nonnullis locis vel invitum omittere sive mutare aliquid eorum, quae dicta erant. Fuisset igitur aliter dicendi inevitabilis necessitas, nisi notarius adhibitus eam sustulisset; sic enim poterant „ipsissima” verba referri. Haudquaquam tamen sequitur, ut ubique Augustinus hac potestate usus sit. Iure tamen colligimus, eum haec verba („aliter dicendi necessitas”) scripturum non fuisse, nisi indicare voluisset, non multum scripta a dictis discrepare. Alterum indicium invenias in § 26 libri I De Ord. Disputatio, quae continetur De Ord. I, 1—26 habita est in cubiculo, quod Augustino cum discipulis commune erat <sup>1)</sup>. In lectis cubantes tum collocti sunt, tenebris circumfusi, stilo non adhibito („erant enim tenebrae”). Cum dies illuxisset, itum est ad conscribenda ea, quae disputata erant. Disertis verbis Augustinus narrat, tum se, quoad posset — cum tabulae dicta non exceperant — omnia in libri partem contulisse. De Ord. I, 26 „Atque ibi ut potuimus sane diligenter, (nam et recentes res erant, et quando poterant tam insignita trium studiosorum memoriam effugere?) omnia nostrae lucubrationis opuscula in hanc libelli partem contulimus”. Unde denuo concludo, eum alias curare solere, ut libri quam optime sermonem habitum referrent.

„Res et sententiae” certe scribebantur <sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Cf. De Ord. I, 6.

<sup>2)</sup> Hic convenit paulisper reverti ad id, quod supra iam cap. II, 3 diximus de dialogis de qu. an. et lib. arb. Ibi monuimus, ne hi Ciceronis more mere ficti esse, sed fluxisse e sermonibus vere habitis putarentur. Quod idem nunc dicere licet de dialogo De Magistro. Conf. IX, 14 Augustinus de Adeodato haec: „Est liber noster, qui inscribitur „de Magistro”: ipse ibi mecum loquitur, tu scis illius esse sensa omnia, quae inseruntur ibi ex persona collocutoris mei, cum esset in annis sedecim” Istud „sensa” si conferas cum hac locutione („res et sententiae”) non ita multum interesse videbis.

## III, 3. QUID CERTE MUTATUM SIT.

Verba viri docti G. Boissier <sup>1)</sup> „le style, la composition, la forme enfin sont imités de Cicéron” non solum de ipsius Augustini, sed etiam de ceterorum sociorum verbis iure dicuntur. Quare puto primam Augustini curam fuisse, quotiescumque libros conscriberet, ut sociorum verba ad iustas, quas putabat, sermonis Latini leges accommodaret. Neque enim omnes elegantioris sermonis tam peritos fuisse, quam eorum dicta, qualia in libris leguntur, suadere videntur, recte, puto, arbitramur. Alypii sermonem libenter credimus non valde vituperabilem fuisse. De adolescentibus, Licentio et Trygetio, in Africa natis, necdum omni eruditione imbutis, dubito, annon idem dici possit, etiamsi artes liberales ab ipso Augustino tum discerent. Monnicae vero sermonem „vitiis” non caruisse, ipse filius eius significat De Ord. II, 45 „Si enim dicam te facile ad eum sermonem perventuram, qui locutionis et linguae vitio careat, profecto mentiar”. Unam vulgarem eius locutionem ne in libro quidem denotare omisit: D. B. V. 16 „Isti homines <sup>2)</sup> inquit caducarii sunt”, quod Augustinus sic explicat: „quo nomine vulgo apud nos vocantur, quos comitialis morbus subvertit”. Postridie Navigius huius vocabuli meminit, dicens: „... Academicum, qui hesterno sermone vulgari quidem et male latino, sed aptissimo sane, ut mihi videtur, verbo caducarius nominatus est” <sup>3)</sup>.

1) Études d'histoire religieuse. Revue des deux Mondes 1888, p. 62.

2) sc. Academici.

3) Eiusdemmodi fortasse vocabulum habemus D. B. V. 8, ubi Monnicae verba sunt haec: „... talibus epulis animus pascitur, id est theoriis et cogitationibus suis”. Quo Graeco vocabulo („theoriis”) ipse scriptor nusquam in his libris utitur. Non verisimile est, Monnicam hoc vocabulum e philosophis desumpsisse, nam artium rudis erat (Cf. De Ord. II, 45). Atqui notum est, sermonem plebeium, imprimis Africanum, multa de Graecis mutuatum esse. Cf. Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten der Lateinischen Sprache p. 117:



Theo. Dokkum composuit librum „De constructionis analyticae vice accusativi cum infinitivo fungentis usu apud Augustinum” <sup>1)</sup>. Qui demonstravit huius constructionis usum multo frequentiore esse in posterioribus Augustini operibus quam in superioribus. Quo consilio perscrutatus est ex superioribus „libros, quos scripsit contra Academicos et de Beata vita, quia in iis sibi Ciceronem maxime exemplum proposuit” (p. 7). Ex posterioribus explorandos sibi elegit libros de Civitate Dei, Confessiones, Epistulas. Tabulas composuit (p. 67), e quibus apparet „multo frequentius constructionem analyticam adhiberi in iis libris, quos scripsit post conversionem ad fidem Christianam. Nam cum in prioribus ratio sit 1 : 80 et 1 : 25, in posterioribus haec est: C. D. 1 : 18, Conf. 1 : 5, Ep. 1 : 9. Et summa summarum, cum sit in prioribus 1 : 55, in posterioribus est 1 : 11½”.

Quid hoc ad nos?

Loci, quos affert vir doctus e libris C. Ac. et D. B. V. scriptis, novem <sup>2)</sup> sunt numero. Quinque autem verba Augustini referunt, reliqui quattuor sociorum. Quod si, ut Tho. Dokkum, existimamus, Augustinum in prioribus scriptis non eadem, qua in posterioribus, licentia usum esse, quia in iis usum Ciceronia-

„selbst der Prediger . . . konnte es in Afrika wagen dem Volke zehnmal so viele griechische Wörter als Cicero seinen Mitbürgern zu bieten”. — Cf. Livius 27, 11, 4: „quos androgynos vulgus . . . appellat” et C. Ac. II, 7: „Philocalia ista vulgo dicitur: ne contempnas hoc ex vulgi nomine” et Ad. Regnier, De la Latinité des Sermons de Saint Augustin p. 12 sqq.

<sup>1)</sup> Snecae 1900. (Numerorum, velut 1 : 80, secundus ad acc. c. inf. spectat).

<sup>2)</sup> Tabulae p. 67 novem docent eum repperisse, quorum quinque in libris C. Ac., quattuor in libro D. B. V. — Eadem pag. 67 scriptor ait: „. . . in prioribus quod non nisi cum conjunctivo invenitur.” Recte id quidem, si libros C. Ac. et D. B. V. solos spectes; sed De Ord. II, 3, qui liber eodem fere tempore ortus est, exemplum habet indicativi: „Videtur mihi, inquit, quod et in hoc mundo si qua non moventur, cum Deo sunt”.


num servare studuerit <sup>1)</sup>, iure conficimus, Augustinum sociorum sermonem suo, id est Ciceroniano, quem putabat, accommodavisse, quoties dialogos in librum transferret. Ideoque et illi constructione analytica perraro, saepius accusativo c. inf. in libris utuntur. Alioquin consentaneum fuisset, eos constructionem analyticam, quae sermonis cotidiani et vulgaris proprium esse exque eo in scriptorum sermonem transiisse putatur <sup>2)</sup>, frequentius usurpare.

Ceterum notandum est etiam in his scriptis, quamvis Ciceroniano stilo similibus, pleraque occurrere eorum, quae Latini sermonis posterioris propria sunt, a classico, qui dicitur, sermone abhorrent.

---

<sup>1)</sup> o. l. p. 68.

<sup>2)</sup> Cf. o. l. p. 73. sqq.



#### IV. QUANTUM TEMPORIS AD COLLOQUENDUM SUMPTUM SIT.

Redeamus ad ea, quae supra tractavimus de stilo et notario. Omnia disputationum verba diligenter in tabulas conferri ibi diximus. Quam consuetudinem cum per se intellegimus magni momenti fuisse ad tardum colloquiorum progressum, tum etiam ipse Augustinus stili usum profuisse suo sive stomacho <sup>1)</sup>, sive pectori <sup>2)</sup>, sive pulmoni <sup>3)</sup> et impedivisse, ne nimis celeriter loqueretur, indicat De Ord. I, 5: „... adhibito sane stylo... quod videbam conducere valetudini meae. Cum enim nonnulla loquendi cura detinerer, nulla inter disputandum irrepebat immoderata contentio”. C. Ac. III, 15: „... istum stilum caussa eiusdem salutis quasi aurigam moderatoremque sermonis mei esse volui, ne concitatus rapiar animo, quam cura corporis poscit...” Conf. IX, 4. „... pulmo meus... coeperat... testari se saucium vocemque clariorem productionemve recusare...” Lente verba pronuntiabantur. C. Ac. II, 25 legimus: „... Et cum duae vix horae reliquae forent...” Quae continentur postremis huius libri paragraphis, fluxerunt e sermone duarum horarum, licet duas vix columnas occupent. Ne dimidiam quidem horam consumunt, si quis ea lenta voce recitat. Manifestum est, non stilum solum huius rei fuisse

<sup>1)</sup> De Ord. I, 33: „ut meo stomacho parcerem”.

<sup>2)</sup> C. Ac. I, 3; D. B. V. 5 „pectoris dolor”. Solil. I, 26 „Morbus iste pectoris tui”.

<sup>3)</sup> Conf. IX, 4: „labori nimio pulmo meus cedere coeperat”.

causam, sed etiam eos, qui loquebantur, tempus identidem ad excogitandum satis longum sibi sumpsisse. Quod minime mirum est, praesertim in adolescentibus Trygetio et Licentio, ut qui bene novissent, omnia digna esse debere, quae scriberentur eoque cum cautione esse proferenda.

Ipsi Augustino oratio facilius erat. Nam cum bis ille solus, ceteris tacentibus, continua oratione usus sit, quinquies vel sexies tantum, quantum illis duobus horis dictum erat, ipse pronuntiavit et utraque oratio occupavit eam diei partem, quae inter prandium fere et solis occasum concludebatur. Prior continetur C. Ac. III, 15—45, altera De ord. II, 24—54. Hae duae, paulo post prandium, id est post meridiem <sup>1)</sup>, coeptae, initio noctis <sup>2)</sup> finitae sunt.

---

<sup>1)</sup> C. Ac. III, 6 „... pomeridianis horis rediemus...”

<sup>2)</sup> C. Ac. III, 44. „... lucerna illata...” De ord. II, 54. „... cum iam nocturnum lumen fuisset illatum”.

## V. QUO ORDINE DISPUTATIONES HABITAE SINT.

### Va. QUID CONSTET DE ORDINE.

#### Va, 1. QUOTIES ALIQUOT CONTINUIS DIEBUS DISPUTAVERINT.

Liber C. Ac. I, cuius sermones satis certe constat primos esse habitos, colloquia continet trium dierum eorumque continuorum.

a. 5—10.

cf. 11. „Postridie autem . . .”

b. 11—15.

cf. 16. „Deinde mox ut illuxit . . .” et ibid. „Heri postulasti . . .”

c. 16—25.

Post illos libri I C. Ac. dialogos aliquod tempus quieverunt. Cf. C. Ac. II, 10. „Post pristinum sermonem, quem in primum librum contulimus, septem fere diebus a disputando fuimus otiosi . . .”

Librorum II et III disputationes habitae sunt tribus continuis diebus.

a. II 10—24.

cf. II, 25. „Postridie autem . . .”

b. II 25—30.

cf. III, 6. „. . . hesterno die . . .”

c. III, 1—45.

De beata vita disputatum est tribus continuis diebus.

a. 7—16.

cf. 17. „Postridie autem . . .”

b. 17—22.

cf. 22. „quare peto, ne fastidio vobis sit ad istam mensam cras etiam convenire”.

c. 23—36.

De Ordine lib. I continet duorum continuorum dierum colloquia.

a. 6—26.

cf. 27. „Deinde postridie . . .”

b. 27—33.

De Ordine liber II unius diei disputationem continet, non statim secutam libri I disputationes; cf. II, 1 „Interpositis deinde pauculis diebus . . .”

Quater igitur per continuam seriem dierum collocuti sunt. Accedit unus dies singularis.

Haec explanantur apud Lenain de Tillemont <sup>1)</sup>, in Vita Benedictinorum <sup>2)</sup>, quos omnes posteriores secuti sunt.

Fusius etiam ea exposuit Ohlmann <sup>3)</sup>, qui nonnullorum errores correxit.

#### Va, 2. QUANDO QUAEQUE DIERUM SERIES FUERIT.

- I. Iam diximus primam seriem fuisse eam, cuius disputationes in lib. I C. Ac. fluxerunt. Cf. C. Ac. I, 4. „Pauculis igitur diebus transactis . . .” Quod idem eo affirmatur, quod in omnibus reliquis sermonibus haec Academicorum quaestio significatur.

<sup>1)</sup> Mémoires Tome XIII, Art. XXXVI—XLIII. Note V.

<sup>2)</sup> II, VIII, 3—10.

<sup>3)</sup> o. l. p. 17—27.

- II. Pro certo affirmare licet, disputationes D. B. V. fuisse idibus Novembribus et duobus, qui sequebantur, diebus.  
Cf. D. B. V. 6. „Idibus Novembris . . .”
- III. Porro constat, libri De. Ord. II disputationem fuisse post sermones D. B. V.  
Cf. De Ord. II, 20. „. . . in sermone illo, quem die natali tuo iocondissimum habuimus.” Tunc igitur de beata vita iam disputatum erat.
- IV. Nec minus certum est, eiusdem libri De ord. II disputationem habitam esse post eam, quae libro III C. Ac. continetur. Nam De Ord. II, 43 locus de Proteo ex III libro C. Ac. laudatur. Et quoniam liber II et liber III C. Ac. uno tenore, nullo intermisso die disputati sunt, utriusque sermones antecesserunt sermones libri II De Ord. Prima igitur series fuit ea, ex cuius sermonibus liber I C. Ac. fluxit.  
Ultimus dies fuit is, cuius sermones in librum II De Ord. congesti sunt.  
Inter ea reliqua sunt interponenda.  
Haec quoque reperias apud Lenain de Tillemont <sup>2)</sup>, apud Benedictinos <sup>1)</sup>, apud Ohlmann <sup>2)</sup>.

Vb. SINTNE INTER DISPUTATIONES DE ACADEMICIS  
ALIAE INTERPONENDAE.

Vb, 1. QUAE SENTENTIA ADHUC VIGUERIT.

Communis omnium virorum doctorum est sententia, disputationes libri D. B. V. et libri I De Ord. habitas esse ante eas, quas libri II et III C. Ac. complectuntur.

<sup>1)</sup> 1. 1. et in praefationibus ad singulos libellos.

<sup>2)</sup> 1. 1.

Meum est consilium probare, nullam earum, quae servatae sunt, disputationum inter Academicas intercessisse; itaque primum has ad finem perductas, dein ceteras secutas esse.

Eadem fere omnibus in hac quaestione fuit ratio. Maxime idoneus mihi videtur, quem exscribam, Lenain de Tillemont <sup>1)</sup>.

„Quand S. Augustin dit dans le second livre <sup>2)</sup> contre les Academiciciens, que lui et ses amis avoient esté environ sept jours sans faire de conference depuis celle qui faisoit le premier livre de cet ouvrage, [il veut seulement dire qu'ils n'en avoient point fait sur le mesme sujet des Academiciciens]. Il est certain que la manière dont il s'exprime en cet endroit, porte à croire qu'ils n'en avoient point fait dutout. [Mais d'autre part que répondre à ce qu'il dit], qu'il a fait le livre De la vie bienheureuse *non post libros de Academicis, sed inter illos?* <sup>3)</sup> [Et il est visible qu'il ne l'entend pas du temps, où il pouvoit avoir composé ces ouvrages à son loisir, mais du temps où se firent les conferences qui les composent]. Celles qui font le 2<sup>e</sup> et le 3<sup>e</sup> contre les Academiciciens, ont esté faites en trois jours consecutifs sans aucune intermission. [Il faut donc necessairement que celles qui font le sujet du livre De la vie bienheureuse, aient esté tenuës dans les 7 jours d'intermission entre le premier et le second], il dit de mesme qu'il a fait les deux livres de l'Ordre, *inter illos qui de Academicis scripti sunt*; [ce qu'il faut entendre au moins du premier], qui contient encore les entretiens de deux jours consecutifs: Car le second qui est fait quelques jours après peut avoir suivi tous les trois des Academiciciens.

[Cette suite se voit encore par ces écrits memes.]. Car

---

<sup>1)</sup> o. l. Note V. Nondum exploratum habeo, quare Tillemont modo totas sententias, modo sententiarum partes uncis incluserit.

<sup>2)</sup> C. Ac. II, IV, 10.

<sup>3)</sup> Retr. I, II.



dans celui De la vie bienheureuse, S. Augustin dit que ce que l'on y traitoit, terminoit la dispute qu'ils avoient entreprise touchant les Academiciens <sup>1)</sup>; et Licent y prend partout le parti de ces philosophes, [comme dans les livres faits contre eux]. Dans celui de l'Ordre <sup>2)</sup> Trigece s'écrie: Enfin Licent qui défendoit avec tant d'ardeur les Academiciens, n'est plus Academicien. Alype estoit absent lorsque le Saint fit les deux premieres conferences sur l'ordre, mais revint peu de jours après. Il n'est point nommé non plus entre les personnes qui eurent part à celles De la vie bienheureuse; et il est marqué expressément qu'il n'y estoit pas. [Cela s'accorde parfaitement avec ce que nous voyons], qu' Alype avoit quitté la premiere conference sur les Academiciens pour aller à Milan, et estoit revenu pour celle qui fait le second livre: [De sorte que je ne sçay] si le Saint en disant qu' ils avoient esté sept jours *a disputando ociosi*, [ne voudroit point marquer non seulement qu'on n'avoit point repris la matière des Academiciens, mais encore qu'on n'avoit rien fait avec Saint Alype, qui estoit proprement le seul capable d'examiner les difficultez avec S. Augustin. Neanmoins des trois conferences qui entrent dans le premier livre contre les Academiciens, Saint Alype n'avoit esté qu' à la premiere, et encore au commencement].

Le livre De la vie bienheureuse contient les conferences de trois jours, dont le premier est celui de la naissance du Saint, c'est à dire le 13 de novembre, et les deux suivans, par consequent le 14 et le 15. Les deux conferences du premier livre de l'Ordre, ne peuvent donc estre mises plustost que le 16 et le 17. Ainsi des sept jours qu' il faut mettre entre

---

<sup>1)</sup> D. B. V. 13—15. Cf. *meae disputationis cap. Vb, 3.*

<sup>2)</sup> De Ord. I, IV, 10.

le premier et le second livre contre les Academiciens, en voilà cinq d'occupez. Il faut donc mettre les trois conferences, qui forment le premier livre, le 9, 10, et 11, ou un jour plus-tard, et la 4<sup>e</sup> le 19 ou le 20. Le dimanche tomboit le 15, l'un des jours où l'on conféra sur la vie heureuse: mais on n'en parla tous les trois jours que l'apresdisnée. Le 22 auquel les conferences sur les Academiciens finirent, si elles n'avoient commencé que le 10, estoit aussi le dimanche: [et cette derniere conference] qui ne finit que le soir, avoit commencé dès le matin. [Ainsi il est moins embarassant de la mettre le samedi 21 et la premiere par consequent dès le 9 novembre]."

Videmus virum doctum sibi persuasisse, sermones libri D. B. V. et De Ord. I post libri I C. Ac., ante librorum II et III C. Ac. sermones habitos esse. Quin etiam singulas disputationes singulis mensis Novembris diebus attribuit, ita ut assignaverit disputationes

|                           |                   |
|---------------------------|-------------------|
| libri I. C. Ac.           | diebus IX, X, XI, |
| libri D. B. V.            | „ XIII, XIV, XV,  |
| libri I De Ord.           | „ XVI, XVII,      |
| librorum II et III C. Ac. | „ XVIII, XX, XXI. |

Ohlmanno eadem digerendi ratio placuit nisi quod librorum C. Ac. sermones diebus X, XI, XII, XX, XXI, XXII attribuit, id quod Tillemont propter dies dominicos improbaverat. Nec Benedictinorum sententia multum discrepat.

Iam singula argumenta refutem.

#### Vb, 2. DE TESTIMONIIS RETRACTATIONUM.

Lenain de Tillemont, Benedictini, Ohlmann omnes ad ordinem disputationum statuendum afferunt e Retractationibus eos locos, qui ad haec opera pertinent:

Retr. I, I. „... contra Academicos vel de Academicis primum scripsi . . .”.

Retr. I, II. „Librum de beata vita non post libros de Academicis, sed inter illos ut scriberem, contigit”.

Retr. I, III. „Per idem tempus inter illos, qui de Academicis scripti sunt, duos etiam libros de ordine scripsi . . .”.

Quibus nisi disputationum ordinem constituerunt.

Disputationes libri D. B. V. et libri I De Ord. inseruerunt inter eas, quae libro I C. Ac. et eas, quae libris II et III C. Ac. continentur, nisi, ut dixi, Retractationum testimoniis.

Sed hi Retractationum loci per se nullius pretii sunt in hac quidem quaestione, cum in iis identidem legamus: „scripsi”. Quod non idem est ac: „disputavimus”. Iam antea indicavi, sermones prius tabulis a notario (non ab ipso Augustino) mandari, unde postea in librum sive libros transferri ab Augustino solitos esse. Potest igitur fieri, ut disputatio quaedam habita ante aliam, sed post eam in librum relata sit. Quare his locis argumentandi vis nulla inest, nisi certo scimus verbo, quod est „scribere”, latiore sensu Augustinum esse usum, ita ut eo primum dialogorum ortum, id est disputationem, significare voluerit. Id quod nullo loco stabilitur.

Quaestio igitur dividenda est in has duas quaestiones:

1. Quo ordine disputatum sit.
2. Quo ordine libri conscripti sint.

Alibi in hoc libello in ordinem scriptorum librorum, ut poterimus, inquiremus.

Etiamsi quis colloquiorum ordinem, quem ceteri constituerunt, servare velit, tamen necesse est concedat, haec Retractationum verba ad scribendi edendivi, non ad sermocinandi ordinem spectare.

Immo ea quae hucusque vixit interpretatio sibi ipsa repugnat. Hoc enim superiorum interpretationi obstat, quod

viri docti coguntur propter tertium Retractationum caput Augustinum magnae negligentiae accusare. Nam cum ipsi putent, unius tantum De Ord. libri dialogos ante disputationes librorum II et III C. Ac. habitos esse et cum certum immotumque sit, disputationem libri II De Ord. omnium postremam fuisse <sup>1)</sup>, in Retractationibus legunt, duos libros interim scriptos esse. Retr. I, III „Per idem tempus inter illos qui de Academicis scripti sunt, duos etiam libros De Ordine scripsi”. Tillemont annotat haec: „ce qu' il faut entendre au moins du premier”. Ohlmann o. l. p. 19 „Post librum de Ord. I, ante c. Ac. II etiam librum de Ord. II compositum esse Augustinus quidem ipse indicavisse videtur Retr. I, 3, 1, sed cum locus c. Acad. III, 11 commemoretur in libro De Ord. II, 43 ‘Hunc vero totis viribus comprehendit, qui iam universae veritatis index futurus, ille, cuius mentionem fecit Alypius, cum de Academicis quaereremus, quasi Proteus in manibus erat’, librum de Ord. II post librum c. Acad. III scriptum esse <sup>2)</sup> concludas oportet atque ambigua esse verba illa Retr. I, 3, cum quae de libro tantum De Ord. I dicenda erant, de utroque ibi dicta esse videantur”.

Comica quaedam vis inest Benedictinorum verbis Vit. II, VIII, 4. „Per id enim temporis, priusquam libros de Academicis absolvisset ... composuit ... duos etiam libros De Ordine, *hoc est priorem* ...”.

Etiam sagacissimum virum Tillemont non fugit altera illa verbi, quod est „scripsi”, interpretatio. Dicit enim: „Et il est visible qu' il ne l'entend pas du temps où il pouvoit avoir composé ces ouvrages à son loisir, mais du temps où se firent les conférences qui les composent”. Sed oportet consentias

<sup>1)</sup> cf. huius libri p. 31 (IV).

<sup>2)</sup> Debuerat ad tempus disputandi eum quoque locum referre, ad tempus scribendi non item.

per meram negationem nihil probari. Itaque videtur, quia ei talis interpretatio molesta erat, eam reiecisse.

Vb, 3. DE ALYPII PROFECTIONE.

Cum semel viris doctis persuasum esset, sermones D. B. V. et De Ord. I fuisse ante eos, qui libris II et III C. Ac. leguntur, invenerunt alia insuper argumenta, quibus niterentur. Huic proposito servivit Alypii profectio in urbem.

Iam agamus de Alypio absente.

C. Ac. I, 8. Alypius, paucis verbis dictis, in urbem proficiscitur. Ceteris huius libri sermonibus non interest.

C. Ac. II et III. Rursus adest.

D. B. V. Abest.

De Ord. I. Abest.

De Ord. II. Adest.

Quo factum est, ut viri docti ratiocinati sint hoc fere modo: „Si disputationes libri D. B. V. et libri De Ord. I habitae sunt post eas, quae libro I C. Ac. perscriptae sunt <sup>1)</sup> et ante eas, quae leguntur libris C. Ac. II et III, optime quadrat Alypii absentia. Nam C. Ac. I profectus est; eo absente dialogi librorum C. Ac. I, D. B. V., De Ord. I secuti sunt. Post eius reditum denique librorum C. Ac. II et III et De Ord. II sermones ponendi sunt”.

Satis certa et stabilis haec ratiocinatio videtur esse; neque tamen ab infirmatione tuta est. Faciamus nullam earum, quas novimus, disputationum intercessisse inter duas Academicæ quaestionis partes: nihil impedit Alypius absens, quippe qui bis abesse potuerit, primum post initium primae contra Academicos disputationis, iterum post ultimam contra eosdem

<sup>1)</sup> Eorum verba ita referimus, tamquam si diligenter distinxissent, quid interesset inter loqui et scribere.

disputationem. Quod si verum est, ordinem statuere licet hunc:

C. Ac. I. Alypius proficiscitur.

C. Ac. II et III. Alypius, interim reversus, adest.

Iam iterum proficiscitur.

D. B. V. De Ord. I. Abest.

De ord. II. Interim denuo reversus, adest.

Operae pretium est diligentius attendere, quemadmodum in libro D. B. V. de Alypio absente socii relictī loquantur. Huius disputationis Alypius particeps non est. Quamquam eius nomen et auctoritas, cum ipse absit, valde multum valet, simul atque amicorum animi contra Academicos denuo et subito incaluerunt. Augustinus in Academicos violentum impetum facit, quem ipse sustineri non posse putat, Licentius, Academicorem defensor, evitat, dicens exspectare se velle, dum auxilio veniat socius Alypius, qui tum aberat. D. B. V. 14: „Tum ego ita rem proposui: Si manifestum est, inquam, beatum non esse, qui quod vult non habet, quod paulo ante ratio demonstravit, nemo autem quaerit quod invenire non vult, et quaerunt illi semper veritatem, volunt ergo invenire, volunt igitur habere inventionem veritatis. At non inveniunt; sequitur eos non habere quod volunt; et ex eo sequitur etiam eos beatos non esse. At nemo sapiens, nisi beatus: sapiens igitur Academicus non est”.

Licentius caute respondet, se defensionem ad Alypi adventum differre. Ille igitur Alypium defensorem Academicorum et putat et dicit. Et revera Alypius eorum patronus fuit, sed — id quod alicuius momenti est — in libro I C. Ac. eos non tuetur, sed libris II C. Ac. et III; C. Ac. I bis <sup>1)</sup> brevissime locutus est neutroque loco quicquam pro Academicis dixit. Ne collocutus est quidem cum ceteris ita ut sententiam suam

<sup>1)</sup> C. Ac. I, 5; I, 8.

promeret: arbitri tantum partes <sup>1)</sup> suscepit et, antequam disputatio certo alveo fluxit, in urbem profectus est. C. Ac. II et III patroni partes pro Academicis sustinuit. Ergo dicas, de beata vita actum esse post dialogos librorum II et III C. Ac. habitos.

Hic obici potest, Alypium non usque ad finem Academicos defendisse; quin eum in libro III se ab Augustino victum esse confiteri. Monendum tamen est, haudquaquam adulescentes eodem loco Augustinum victorem putare. Intenti expectant refutationem atque etiamnunc Alypium pro apto Academicorum patrono habent, sive simulato sive vero. Cf. C. Ac. III 44: „... tamen illi adulescentes intentissime expectabant, utrum Alypius vel alio die se responsurum esse promitteret”, ib. 45. „Hic ego, cum illi puerili quodam studio, quod Alypius responsurus non videbatur, quasi fraudatos vultu se ostenderent...”.

Sedenim faciamus, prius de B. V. disputatum esse, postea rursus de Academicis (lib. II et III); nonne veri simile putes esse, novum et grave argumentum in instauranda lite ampliata confestim promi? At nullo loco in libris II et III C. Ac. attingitur!

Vb. 4. NONNULLA FACILIUS EXPLICARI, SI ORDINEM INVERTERIS.

Quin inveniuntur nonnulla, quae melius explicantur, si disputationem De Beata Vita post sermones librorum II et III C. Ac. habitam esse putes.

a. De Ord. II, 1 Augustinus narrat, se post dialogum D. B. V. consilium cepisse, ut in posterum Monnicam matrem sermonum sociam assumeret. „Nobiscum erat etiam mater nostra,

1) C. Ac. I, 8.

cuius ingenium, atque in res divinas inflammatum animum, cum antea convictu diurno et diligenti consideratione perspexeram, tum vero in quadam disputatione non parvae rei, quam die natali meo cum convivis habui, atque in libellum contuli, tanta mihi mens eius apparuerat, ut nihil aptius verae philosophiae videretur. Itaque institueram, cum abundaret otio, ut colloquio nostro non deesset". At colloquiis librorum II et III C. Ac. non interest, quamquam ea, quae his libris continentur, post dialogum D. B. V. tractata esse vulgo putantur.

b. C. Ac. II, 10 legimus Licentium post dialogos libri I C. Ac. fastidiosum factum esse philosophiae et vix vituperatione Augustini adduci potuisse, ut Academicorum quaestionem iterum aggredieretur <sup>1)</sup>. In libris D. B. V. et De Ord. I, etsi putantur inter dialogos libri I et libri II C. Ac. ponendi esse, frustra eius fastidii vestigia quaeras. Nam De Ord. I, 21 sq. ex animo valere iubet poeticam: „Pulchrior est philosophia, fateor, quam Thisbe, quam Pyramus . . .". Quin etiam ab Augustino instigatur, ne poeticam nimis deserat, modo serviat philosophiae poeta. Ibi igitur, nec magis in libro D. B. V., iure philosophiae fastidiosus non dicitur neque is, qui „tandem" ad retractandam Academicam quaestionem adducatur.

In maiore est culpa libris C. Ac. II et III, cum C. Ac. III, 7 id tempus, quod ad prandium sumendum interponitur, statim arripiat ad versus fingendos: „Et cum redissemus invenimus Licentium, cui nunquam sitiendi Helicon subvenisset, excogitandis versibus inhiantem." Facilior igitur ratio est, si ad hunc modum Licenti animi statum enarres: eum primo philosophiam adamavisse, ut alacriter Academicos in libro I defenderet; eum per septem illos dies, quos otiosi a

---

<sup>1)</sup> Locum exscribam in calce paginae.



disputando degerunt, Vergilio legendo <sup>1)</sup> in poeticam declinasse necdum plane ad philosophiae amorem revertisse in libris II et III C. Ac., deinde libro I De Ord. se in melius mutavisse, libro D. B. V. et De Ord. II penitus a nimio poeticae amore ad sanitatem reductum fuisse <sup>2)</sup>. Itaque Licenti poetica nostro ordini favet, superiorum ordini non item.

c. Quisquis legerit ea, quae De Ord. II, 1 de Alypii adventu dicuntur, commovebitur, ut — dummodo ea sola spectet — non prius de Academicis sed statim de ordine disputationem peractam esse credat. „Interpositis deinde pauculis diebus venit Alypius, et exorto sole clarissimo, invitavit caeli nitor, et quantum in illis locis hyeme poterat, blanda temperies in pratum descendere, quo saepius et familiarius utebamur”. Ibi confestim de Ordine rursus agere instituerunt, Academicorum nulla mentione facta.

d. Supra Vb, 3 iam indicavi, D. B. V. 13—15 magnum illud contra Academicos inventum a Licentio ad Alypi adventum esse reservatum; quare recte nos mirari, cur novi huius argumenti nullus in disputationibus librorum C. Ac. II et III usus fuerit. Nihil mirum, si tum totam de Academicis quaestionem iam absolutam fuisse putamus.

e. Etiam cap. Vb 5 et Vb 8 aliquid afferunt.

---

<sup>1)</sup> Locus aptus est, qui plene adscribatur. C. Ac. II, 10. „Post primum sermonem, quem in primum librum contulimus, septem fere diebus a disputando fuimus otiosi, cum tres tantum Virgilio libros post primum recenseremus, atque ut in tempore congruere videbatur, tractarem. Quo tamen opere Licentius in poeticae studium sic inflammatus est, ut aliquantum mihi etiam reprimendus videretur. Iam enim ab hac intentione ad nullam se rem devocari libenter ferebat. Tandem tamen ad retractandam quam distuleramus de Academicis quaestionem, cum a me, quantum potui lumen philosophiae laudaretur, non invitatus accessit”.

<sup>2)</sup> Iam hic moneo, eandem rationem valere ad libri De Ord. I disputationes ante sermones D. B. V. ponendas. De qua re infra plura dicturus sum. Quamquam pro adulescentis animi inconstantia nimis id urgere nolim.

## Vb, 5. DE „SEPTEM DIEBUS”.

Iam supra<sup>1)</sup> significavimus, Tillemont, Benedictinos, Ohlmann putavisse, disputationes D. B. V. et De Ord. libri I habitas esse iis septem diebus, quibus Augustinus C. Ac. II, 10 se otiosum a disputando fuisse dicit. Itaque cum constaret, disputationes de B. V. tridui, De Ord. I bidui spatium occupavisse, dubitaverunt, ubi duo, qui restarent, dies ponendi essent. Quam quaestionem solvisse se putat Ohlmann<sup>2)</sup>, cum affert verba De Ord. II, 1: „Interpositis deinde pauculis diebus venit Alypius”. Nam, cum ei, sicut ceteris, disputatio de B. V. ante duos libri I De Ord. sermones habita videretur, — id quod infra aliter se habere demonstrare conabor — hoc fere modo ratiocinatus est: „E septem diebus triduum consumptum est in dialogis D. B. V.; pauculis diebus post dialogos libri I De Ord., qui bidui spatium occupant, venit Alypius, qui post ultimam libri I C. Ac. disputationem per septem dies afuerat; sequitur, ut libri I De Ord. sermones statim secuti sint post sermones D. B. V., dies autem interpositi duo numero fuerint”.

Sed iam observemus, quomodo ipse Augustinus septem illos dies post colloquia C. Ac. I se cum suis degisse narret. C. Ac. II. 10 „Post pristinum sermonem, quem in primum librum contulimus, septem fere diebus a disputando fuimus otiosi, cum tres tantum Virgilio libros post primum<sup>3)</sup> recenseremus...”.

Magis perspicua vix cogitari possunt. Nam haec verba nihil aliud significant nisi hoc: „Non disputavimus, sed Vergilium

<sup>1)</sup> Cap. V init.

<sup>2)</sup> pag. 21 o. l.

<sup>3)</sup> Primum videlicet librum iam ante cum suis legerat. Cf. C. Ac. I, 15 „diesque pene totus cum in rebus rusticis ordinandis, tum in recensione primi libri Virgilio peractus fuit”.

tantum legimus". Vergilium eum nominasse, de disputationibus tacuisse, veri simile non est.

Neque ipsos viros doctos haec difficultas latuit. Audias, quaeso, Ohlmannum <sup>1)</sup>: „Offendunt quae Augustinus refert C. Ac. II, 10: Post pristinum sermonem etc. . . . .; etenim post sermones, quos in primum C. Ac. librum contulit atque ante disputationes libri C. Ac. II, non otiosos eos fuisse, sed quae in libris de vit. b. et de Ord. I continentur, eos disse-ruisse supra statuimus <sup>2)</sup>". Necnon Tillemont <sup>3)</sup>: „Il est certain, que la manière, dont il s'exprime en cet endroit porte à croire qu'ils n'en avoient point fait dutout".

#### Vb, 6. QUOD ARGUMENTUM SOLUM RESTET.

Unus, qui relinquitur, locus est C. Ac. III, 43: „Sed cum tricesimum et tertium aetatis annum agam. . . ."

Satis haec verba viros doctos adiuvant. Nam nihil aliud significant nisi: „cum triginta duos annos exegerim et in tricesimo tertio vivam". Quod si conferimus Conf. IX, 28 de morte Monnicae: „ergo die nono aegritudinis suae, quinquagensimo et sexto anno aetatis suae, tricensimo et tertio aetatis meae, anima illa religiosa et pia corpore soluta est", sequitur, ut utraque designatio pertineat ad tempus, quod secutum est diem natalem, quem Augustinus in Cassiciaco celebraverat et quem dialogo De B. V. instituendo distinxerat. Hoc uno loco certe demonstratur de beata vita disputatum esse ante quam ea, quae libro III C. Ac. atque igitur quae libro II C. Ac. continentur, disseruissent.

<sup>1)</sup> o. l. p. 20.

<sup>2)</sup> Id vero statuerat ex locis Retr. I cap. I—III et ex Alypi profectioe. Quae duo argumenta nihil valere satis supra ostendisse mihi videor.

<sup>3)</sup> o. l. Note V.

Attamen — rem notatu dignam profero — hunc locum viri docti non adhibuerunt. Legas, quaeso, eam quam supra exscripsi, Tillemonti operis partem. Nec magis ceteri loco usi sunt, quamquam nemini locus ignotus erat. Itaque non facere possumus, quin, quae causa tacendi fuerit, quaeramus.

Maior paene quam haec de disputationum ordine, fuit disceptatio de anno, quo Augustinus conversus esset. Quam quaestionem è Tillemont (Note IV) è Benedictini (Vit. II, cap. VII) paulo ante copiose tractaverant. Ibi is locus (C. Ac. III, 43) magni momenti fuerat, ibi eius vera sententia et vis ab aliorum dubitationibus defensa erat. Quare, puto, viri docti noluerunt argumenti instar adhibere locum, qui alibi ambiguus visus erat. Interdum etiam adducor, ut credam — necdum satis id exploravi — illam annorum quaestionem primam effecisse, ut viri docti eum, quem ego oppugno, disputationum ordinem statuerent, deinde alia argumenta quaesita esse.

Iam ad locum redeam.

Cuivis notum est, quam saepe in manuscriptis libris vitia in numeros irrepserint. Nimisne audax videbor, si quando pro XXXII mendose XXXIII a librario scriptum esse suspicatus ero?

Licet hoc quoque credere, Augustinum dixisse „tricesimum (et) alterum”, postea — eo tempore, quo revera hunc annum agebat — scripsisse: „tricesimum (et) tertium”.

Quod si paulisper credamus, hunc ordinem statuere possumus disputationum habitarum:

C. Ac. I<sup>i</sup> disputationes primae fuerunt.

Intercesserunt septem dies, quibus otiosi fuerunt.

C. Ac. II<sup>i</sup> et III<sup>i</sup> disp. deinde secutae sunt.

Libri D. B. V. et De Ord. I disp., quarum quae priores fuerint, infra investigandum est, post Academicas habitae sunt.

De Ord. II<sup>i</sup> disp. ultima fuit.

Aliud quoque remedium praesto est. Possumus enim hunc quidem locum (C. Ac. III, 43) integrum servare, mutare locum qui exstat Conf. IX, 28. Ubi si pro verbis, quae sunt: „tricensimo (et) tertio” legamus „tricensimo (et) quarto” (XXXIII), res confecta sit. Sed ita tota temporum ratio, quam Tillemont (Note IV) et Benedictini (Vit. II, c. VII) ingeniose defenderunt, diligentiore inquisitionem iure a me poscit. Qua hic supersedere malo. Interim tamen liceat addere, etiam Solil. I, 17 aliquot codices habere: „cum XXXIII annos agam”, neque etiam verba, quae sunt „XXXIII annos agam”, si per se spectentur, necessario idem valere ac „tricesimum tertium annum agam”.

#### Vb, 7. CONCLUSIONES CERTAE.

Pro certo concludere licet, si cetera tantum verisimilia ducas:

a. C. Ac. III, 43 unum et solum argumentum praebere, quo inter ea, quae libro I et libris II, III C. Ac. continentur, aliae disputationes habitae esse certa fide demonstrantur.

b. Nullam necessitatem cogere, de Beata Vita et De Ordine actum esse per illos septem dies, qui sermones libri C. Ac. I protinus secuti sunt. Per illos enim dies otiosi ab omni disputatione fuerunt et postquam id otium peregerunt, tum demum denuo disserere coeperunt.

#### Vb, 8. DE DUOBUS LOCIS ADHUC NEGLECTIS.

Supra <sup>1)</sup> explicavi, qua ratione Ohlmann disputationes librorum D. B. V. et De Ord. I distribuerit per illos septem dies, qui post primi C. Ac. libri sermones intercesserunt.

<sup>1)</sup> Cap. Vb, 1; Vb, 5.

Ordini ab illo constituto duo loci obstant, qui viros doctos adhuc latuisse videntur. Quorum prior est D. B. V. 23, ubi Augustinus tertiam D. B. V. disputationem, quam modo aggressus erat, ultimam fore, amicis pronuntiat his verbis: „... quare hodierno die, quo possimus tandem hoc nostrum convivium <sup>2)</sup> aliquo intervallo dierum distinguere, aut nihil, aut non multum erit, ut opinor, quod mihi vos respondere necesse sit”. Verbis, quae sunt: „aliquo intervallo dierum distinguere convivium”, non alium sensum inesse posse puto, nisi hunc: „Quiescamus per aliquot dies a disputando, quo intervallo hic sermo quasi separetur ab aliis disputationibus.”

Magis perspicua eadem verba legemus, si inspexerimus alterum locum, qui legitur D. B. V. 36. Ibi Augustinus toti de B. V. rei finem facit, haec dicens: „Ego, inquam, quoniam modus ipse nos admonet, convivium <sup>1)</sup> aliquo intervallo dierum distinguere, quantas pro viribus possum gratias ago summo et vero Deo...”. Modus igitur admonet, ut aliquot dies quiescant. Quod idem paulo post respondetur Trygetio, qui petiverat, ut cotidie sic convivarentur. D. B. V. 36 „Hic omnibus gaudentibus et laudantibus Deum: Quam vellem, inquit Trygetius, hoc modo nos cotidie pasceres”. Ad quod Augustinus iterum dicit, modum id vetare. „Modus, inquam, ille ubique servandus est, ubique amandus, si vobis cordi est ad Deum reditus noster”.

Postero die sermones conserere in animo non habebat. Nec est, quod opinemur eum ab hoc proposito recessisse; si non recessit, si igitur revera post sermones D. B. V. aliquot dies — id est: ad minimum duos; nonne? — quieverunt, videmus, quantum hi loci obstant Ohlmanni distributioni. Ille enim ita res digerit, ut

---

<sup>2)</sup> Dialogus D. B. V. sub imagine „convivii animorum” offertur.

D. B. V. pars I )  
 pars II } triduum occupent.  
 pars III )

De Ord. I pars I )  
 pars II } biduum occupent,

deinde putet, eos quievisse biduum, nisus verbis De Ord. II, 1 („Interpositis” etc.). Sic septem dies colliguntur. Quid, si duos etiam dies post disputationes D. B. V. quieverunt? Ubi hi ponendi? Neque enim sic septem, sed novem dierum numerus efficitur, summaque confusio orta est.

Quare eo magis hi duo loci (D. B. V. 23 et 36) suadent, ut credatur Augustino narranti, nihil disputatum esse per illos septem dies.

Minus tamen hi loci Ohlmanno obstant, si disputationes libri I De Ord. ante disputationes libri D. B. V. posuisset, quem ordinem ego infra probaturus sum. Nam sic èt loci De Ord. II, 1 „Interpositis pauculis diebus” èt locorum libri D. B. V. (23 et 36) rationem habere potuerat. Sed quid plura? Neque enim omnino illi septem dies vexandi amplius videntur.

#### Vc. PRIUS DE ORDINE QUAM DE BEATA VITA DISPUTATUM ESSE.

Lenain de Tillemont, Benedictini, Ohlmann inter se consentiunt, disputationes de beata vita antecessisse eas, quas in priorem <sup>1)</sup> De Ordine librum relatas habemus. Sed mea sententia ordo invertendus est. Prius mea argumenta proferam, deinde illorum refutabo.

---

<sup>1)</sup> Secundum De Ord. librum continere disputationes omnium, quas habemus, postremas, non est controversia; cf. p. 31 mei libri.

## Vc, 1. CUR ORDINEM INVERTENDUM ESSE PUTEM.

In fine libri I De Ord. Augustinus et duo adolescentes in medio sermone versantur, cum subito ingressa Monnica rogat, quid profecissent. Filius tacite annuit notario, ut matris èt adventum èt verba perscribat. Quod ubi illa mirabunda aspexit, trepida exclamatione repugnat, quominus mulieris verba tabulis excipiantur.

De Ord. I, 31. „Atque interea mater ingressa est, quaesivitque a nobis, quid promovissemus, nam et ei quaestio nota erat. Cuius et ingressum et rogationem cum scribi nostro more iussissem: Quid agitis, inquit? Numquidnam in illis, quos legitis, libris etiam feminas unquam audivi in hoc genus disputationis inductas?”

E quibus satis apparet, eam nunquam antea participem fuisse disputationis, quae litteris mandaretur. Atqui dialogus De Beata Vita Monnicam tribus continuis diebus colloquentem habet. Satis habeo afferre D. B. V. 10 „Tum mater: Si bona, inquit, velit et habeat, beatus est”; D. B. V. 19 „postulavit mater . . . ut ei hoc ipsum quod conclusionis necessitate intorte dixeram, explicando relaxarem atque solverem”; D. B. V. 27 „Quod cum approbavisset cum ceteris etiam ipsa, cuius sententiam defendebam, aliquantulum tamen addubitans: nescio, inquit, tamen et nondum plene intelligo . . .”. Nec minus omnium verba tum quam alias perscribebantur. Cf. D. B. V. 18 „Quae verba pueri sicut dicta erant, cum conscribi mihi placuisset . . .” D. B. V. 15 „Quod cum iuberem ut scriberetur: Non dixi, inquit, exclamans”.

Ergo in libro I De Ord. Monnica non esset tantopere mirata, quod sua verba litteris mandarentur, si iam antea de beata vita disputatum esset. Quare ordo mutandus est.

Nec levius argumentum sumo e prooemio libri I De Ord.,



ubi Augustinus Zenobium, ad quem libri De Ordine scripti sunt, de loco et personis et more dialogorum docet.

Nam ibi (De Ord. I, 5) legimus haec: „Ibi disserebamus inter nos quaecumque videbantur utilia . . . . Agebant autem ista mecum Alypius et Navigius frater meus, et Licentius repente admirabiliter poeticae deditus. Trygetium item nobis militia reddiderat, qui tamquam veteranus adamavit historiam.” Alypius Navigius Licentius Trygetius nominantur, Monnicae nulla mentione facta. Eo usque hi quattuor cum Augustino colloqui solebant in dialogis. Neque enim Augustini verba ita sunt intellegenda, ut eos nominet, quorum verba in priore libro De Ordine leguntur: neque Alypius in eo loquitur neque Navigius. Uterque in urbem profectus erat. Cf. De Ord. I, 7: „. . . . nam et Alypius et Navigius in urbem ierant”.

Itaque ea verba in hunc sensum accipienda sunt, ut afferat nomina eorum, qui antea dialogorum personae fuerant. Atqui disputationi de Academicis habitae ii quattuor interfuerant. Unde apparet illam de Academicis disputationem solam, nondum D. B. V. esse habitam. Si aliter res se habuisset, Monnica negligenda non fuit in enumerandis iis, qui „ista mecum agebant”, neque nomina Adeodati Lastidiani Rustici, qui in libro D. B. V. loquuntur, omittenda fuerunt.

Tertium argumentum sumo ex De Ord. II, 2, ubi Augustini verba haec sunt: „Cum igitur memorato in loco, ut commode potuimus consedissemus, ego illis duobus adolescentibus: Quamvis vobis, inquam, succensuerim pueriliter de magnis rebus agentibus, tamen mihi videtur non sine ordine propitio Deo accidisse, quod in sermone quo vos ab ista levitate detrahebam, tempus ita consumptum est, ut res tanta ad Alypii adventum dilata videatur”. Suscensuerat vehementer magister discipulis in postrema disputatione prioris libri De Ord., quod pueriliter rixam de Trinitate con-

citaverant. (De Ord. I, 29 et 30 „Bellam rem facis, inquit Licentius. Negabimus ergo Dei filium Deum esse? Hic ille . . . : Et hic quidem Deus est, sed tamen proprie patrem Deum dicimus.”) Itaque manifestum est, verba „sermone quo vos ab ista levitate detrahebam” pertinere ad sermones de B. V., in quibus de Dei cognitione et de Deo Filio (D. B. V. 34) actum esset. Locutio, quae est „propitio Deo” de industria inserta est, quia in disp. D. B. V. constitutum erat, eum beatum esse, qui Deum propitium haberet (D. B. V. 19 et 20).

#### Vc, 2. QUID BENEDICTINI ET TILLEMONT SENSERINT.

Benedictini <sup>1)</sup> quid senserint de ordine harum disputationum, legitur Vitae lib. II cap. VIII, 4: „Post illud colloquium (sc. postremum libri I C. Ac.) septem fere diebus a disputatione quieverunt (C. Ac. II, 10). Per id enim temporis <sup>2)</sup>, priusquam libros de Academicis absolvisset, librum de Beata vita composuit (Retract. I cap. 2) ex colloquiis, quae per triduum, decimo tertio, decimo quarto et decimo quinto novembris horis pomeridianis habuit. Duos etiam libros de Ordine (Ibid. cap. 3) hoc est, priorem qui duorum dierum, decimi sexti et decimi septimi (ut videtur) colloquia complectitur <sup>3)</sup> (De Ord. lib. I, 27). Hinc Augustinus in libro de Beata vita scribit, ex eorum dictis totum, quod cum Academicis susceperant, confectum esse negotium, et Licentium ubique partes Academicorum sustinere (De B. V. 13). In priore autem libro de Ordine Trygetius exclamat: Habemus iam, quod plus est,

<sup>1)</sup> nisi studio et labore viri doctissimi Lenain de Tillemont (o. l. note V).

<sup>2)</sup> Hoc supra refutavi.

<sup>3)</sup> „Scribere disputationes” non idem valere quod „habere disp.”, atque iniuria Retractationes testes citari, supra (p. 35) monui.

Licentium non Academicum (De Ord. lib. I, 10); eos enim ille studiosissime defendere solebat". Usi sunt viri docti duobus locis, quibus suam sententiam firmarent, altero D. B. V. 13—15, altero De Ord. I, 10. Locus prior (D. B. V. 13—15) Licentium Academicos defendentem facit adversus Augustinum. Cf. D. B. V. 15: „Hic Licentius: Ego, inquit, illos nondum desero" <sup>1)</sup>. Et De Ord. I, 10 Trygetius Licentium non iam Academicum esse, laetus exclamat. Quid enim factum erat? Mirum in modum Licentius responderat Augustino, de ordine interroganti, praeter ordinem nihil fieri sibi videri (De Ord. I, 8). Cum autem magister laetus urgeret, ut plura de hac difficili quaestione diceret, alter: „Sine modo me mihi, inquit, nam valde in aliud intendi animum". Quem Pyrami et Thisbae fabulam, quam canere instituerat, meditari suspicatus, ne a philosophia eum poetica detraheret, acerbius admonuit, ut veritati inveniendae potius operam daret. Statim deinde Licentius se paratum praebet ad quaestionem de ordine diligentius tractandam; de qua èt Tygetius èt Augustinus incertos se ostendunt, Licentius certam, quam iam protulerat, sententiam se habere, contendit. Iamque igitur in animo habet abicere impedimenta Academicorum, qui nihil certi inveniri posse dicunt. En causa, cur Trygetius exclamet: „Habemus iam, quod plus est, Licentium non Academicum".

E quibus Le Nain de Tillemont <sup>2)</sup> et Benedictini hanc sumunt conclusionem, quam ipsi paucis verbis exprimunt, ego paulo fusius meis verbis hic exponam: „Licentius in libro D. B. V. Academicus est, in libro De Ord. I Academicos deserit, ergo est disputatio, quae priore De Ord. libro continetur, habita

<sup>1)</sup> De hoc loco vide etiam supra: cap. Vb, 3.

<sup>2)</sup> o. l. Note V.

post disputationes D. B. V. Qui aliter sentit, magnam et intolerabilem inconstantiam attribuere cogitur huic iuveni, cum in libro D. B. V. Academicos defendat is, qui paulo ante eos deseruerit". Id arbitror eos dicere.

Cui argumentationi necesse est obloquar, quippe qui supra ordinem inversum defenderim.

Imprimis observandum est huic argumento nihil momenti inesse, si profertur a Lenain de Tillemont et a Benedictinis. Nam hi viri ipsi multo gravioris inconstantiae Licentium accusant eo ipso, quod disputationes D. B. V. et libri I de Ord. ante sermones libri II C. Ac. inserunt. In quo libro (C. Ac. II) Licentius more suo Academicorum partes gerit et Augustino interroganti: „Placentne, (inquam), tibi novi Academici?" respondet: „Plurimum" (C. Ac. II, 16). — Sic viri docti putant Licentium locutum esse, postquam in disputatione libri De Ord. I Academicos deseruisset. Quod igitur alias pro nihilo duxerunt, id alias argumentandi vim habere voluerunt. Sed cum ego supra, inverso ordini favens, demonstraverim, fieri posse, ut inter disputationes trium C. Ac. librorum nullus alius sermo intercesserit, illud de Licentii inconstantia argumentum contra hunc meum ordinem aliquid valere videtur. Et revera res memoranda est. Quamquam tantum abest, ut eam parem esse putem meis ipsis argumentis (ex Monnicae verbis et prooemio sumptis), ut etiam paulum difficultatis in ea latere credam.

Nam primum non facile diiudices, utrum Licentius in disputatione D. B. V. ex animi sententia, an disputandi gratia partes Academicorum susceperit.

Deinde nihil mirum est, Licentium modo adversarium, modo socium Academicorum se profiteri. Fuit enim adolescentis animus minima constantia praeditus; cuius rei vestigia ubique in his dialogis obvia sunt.

Quin Wilhelm Thimme <sup>1)</sup> hanc potissimum indolem Licenti affert, ut monstret, quam apte Augustinus animum et mores personarum in dialogis perscripserit, quam eleganter hoc velut operum ornamento usus sit.

Imprimis notandus est adulescentis animus inter philosophiam et poëticam iactatus <sup>2)</sup>.

Passim deprehenditur eius indoles prona ad exclamandum, ad pugnandum, ad praemature iudicandum. Passim vituperatus se recipit, celer ad peccandum, celerior ad paenitentiam. Cf. C. Ac. III, 7 „Erubuit ille discessitque, ut biberet”. C. Ac. II, 16 „Tum ille, cum iam esset assensurus, . . . haesit aliquantum”. C. Ac. II, 29 (Alypi ira excitata) „verecunde Alypii impetum formidat”. D. B. V. 10 (ab Augustino vituperatum) „modeste ac verecunde <sup>3)</sup> commonitionis suae paenitet”.

Neque postea constantius se gessit, ut qui prorsus Augustini praecepta neglexerit <sup>4)</sup>.

Accedit quod idem Licentius, si constantiam ei adscribas, contraria argumenta praebet. Nam, cum in priore De Ord. libro vituperetur propter nimium poetices amorem, nonne veri simile dicas, eum in libro D. B. V., si quidem eius libri sermones paulo antecesserunt sermones libri De Ord. I, huic nimio amori inhaerere et philosophiae fastidiosum esse? Cuius rei nulla vestigia sunt.

### Vc, 3. QUID OHLMANN SENSERIT.

Consentit cum Benedictinis D. Ohlmann, dialogos D. B. V. antecessisse eas disputationes, quae in priorem De Ord. librum

<sup>1)</sup> Zeitschrift für Kirchengeschichte 1. 1.

<sup>2)</sup> C. Ac. II, 10; C. Ac. III, 7; vide supra cap. Vb, 4.

<sup>3)</sup> Sic lego; liber editus exhibet: „modestae ac verecundae”. Non commonitio, sed paenitentia modesta et verecunda erat. Quem enim modestiae et verecundiae iure pigeret?

<sup>4)</sup> Vide supra: cap. I, 3.

collatae sunt. Qui cum proprium argumentum afferat, propriam poscit refutationem.

De Ord. I, 8 Augustinus Licenti sententiam de ordine miratus, valde discipulum laudat. Sed ipsa verba exscribam. Augustinus dixerat: „Unde enim solet (inquam) oboriri miratio aut quae huius vitii mater est, nisi res insolita praeter manifestum causarum ordinem?” Quid Licentius respondet? „Et ille: Praeter manifestum, inquit, accipio; nam praeter ordinem nihil mihi fieri videtur”. Haec verba valde delectant magistrum. „Hic ego erectior spe alacriorè quam soleo esse, cum aliquid ab his requiro, quod rem tantam et tam subito heri pene ad ista conversus adolescentis animus concepisset, nulla umquam de his rebus inter nos antea quaestione agitata. Bene, inquam, bene.... Verbis „heri pene ad ista conversus” laudatis, haec Ohlmann<sup>1)</sup> addit: „quibus verbis manifestum est Augustinum respicere locum de vit. b. 34. ‘Neque igitur veritas sine modo neque modus sine veritate unquam fuit. Quis est Dei Filius?.... Quis alius quam summus modus? Quisquis igitur ad summum modum per veritatem venerit, beatus est...’, § 36 ‘Modus, inquam, ille ubique servandus est, ubique amandus, si vobis cordi est ad Deum reditus noster’. Itaque e verbis De Ord. I, 8, ‘heri pene ad ista conversus’ cognoscimus et librum de Ord. I post librum de vit. b. scriptum esse et, quae continentur de Ord. I, 6—27, die decimo sexto novembris disputata esse”.

Haec Ohlmann. Cum quo non possum consentire, manifestum esse, Augustinum his verbis (De Ord. I, 8, „heri — conversus”) respicere locos D. B. V. 34 et 36. Quamvis enim notioni ordinis cum notione modi aliquid commune esse non

---

<sup>1)</sup> o. l. p. 19.

negem, longe tamen aliud agitur hic atque illic. In c. 32 D. B. V. a modestiae notione profectus, Augustinus monstrat, sapientiam esse modum animi; unde ad Dei notionem ascendit. Nusquam in libro D. B. V. agitur de ordine causarum, quo mundus regitur.

Accedit, quod Ohlmann omittit explicare quo pacto in sua interpretatione quadret vox, quae est „pene”.

Quo sensu haec verba „heri pene ad ista conversus” sunt accipienda? Nihil aliud ea significare puto, nisi nuper adolescentem eiusmodi quaestionibus incubuisse. „Pene” coniungendum est cum voce quae est „heri”. „Paene” frequenter hanc habet vim, ut locutionem aliquanto maiorem et graviorem paululum attenuet. Non heri primum Licentius philosophiae se dedit sed „heri paene” id est: non ita multo ante: nuperrime. Eodem fere sensu legitur Solil. I, 17, ubi Augustinum, qui confessus est, quattuordecim annos esse, ex quo divitias cupere destitisset, interrogat Ratio: „Quid honores?” Ad quod Augustinus respondet: „Fateor: eos modo, ac pene his diebus cupere destiti”.

Licentium autem admodum tironem fuisse in philosophia, haud raro apparet et pro aetate eius veri simile est. Satis habeo afferre C. Ac. I, 4. „In hac (sc. in philosophia) mecum studiosissime vivit noster Licentius: ad eam totus a iuvenilibus illecebris voluptatibusque conversus est”. (Vide, quaeso, quam similes inter se sint locutiones: „ad eam conversus” et „ad ista conversus”).

Et C. Ac. III, 1. „. . . . ut propter eum (Licentium sc.) maxime mihi istum sermonem inferendum putarem, quo in eius animo philosophia (nunc enim tempus est) maiorem partem, non modo quam poëtica, sed quaevis disciplina, sibi usurpet, ac vindicet”.

„Ad ista” hunc puto habere sensum: „ad eas res, ad

res philosophiae et religionis, quarum quaestio de ordine pars est”.

Postremo non attendit Ohlmann locos D. B. V. 23 et 36, e quibus apparet Augustinum in animo habuisse post dialogos D. B. V. aliquot dies otiosus esse a disputando („aliquo intervallo dierum distinguere”). Unde „heri” vix ad tertium diem disputationum D. B. V. referri posse, in aperto est <sup>1)</sup>.

---

<sup>1)</sup> Cf. meae disputationis cap. Vb, 8.



## VI. QUANDO LIBRI COMPOSITI SINT.

### VI, 1. QUID DICANT RETRACTATIONUM I CAPITA I—III.

Hic demum usui erunt illa Retractationum capita I—III libri I, quae falso ad ordinem colloquiorum statuendum ab aliis adhibita esse supra <sup>1)</sup> contendi. In iis de libris scribendis sermo est, de colloquendo non item. Quoties colloquia habita erant, non iure Augustinus dicere poterat, se librum scripsisse. Colloquia notarius tabulis mandabat, colloquiorum personae plures erant, Augustinus nonnisi partem afferebat. Sed ipsius praecipue Augustini <sup>2)</sup> munus erat omnium dicta in libros conferre, atque ea castigata, emendata, annotata, prooemio ornata, amico cuidam dedicata. Hoc conficiendi et edendi munus puto dici in Retractationibus.

Videbimus hanc explicationem nihil difficultatis relinquere. Iam iterum illorum Retr. capitum, quae summa sunt, exscribam. Èt ex iis èt ex aliis locis apparebit:

### VI, 2. PRIMUM LIBRUM C. AC. SEPARATIM ESSE EDITUM.

Retr. I, 1. „Cum ergo reliquisset vel quae adeptus fueram in cupiditatibus huius mundi, vel quae adipisci volebam et

---

<sup>1)</sup> Cap. Vb, 2.

<sup>2)</sup> Interdum pluralis numerus usurpatur in conscribendi opere narrando. C. Ac. I, 25 „... istam . . . disputationem . . . relatam in litteras mittamus . . .” C. Ac. II, 10. „Post pristinum sermonem, quem in primum librum contulimus.” De Ord. I, 26 „... Atque ibi . . . omnia nostrae lucubrationis opuscula in hanc libelli partem contulimus”. Ergo videtur adulescentium quoque consilium aliquid valuisse, in iis dumtaxat disputationibus scribendis, quarum ipsi maxime personae fuerant.

me ad Christianae vitae otium contulisset, nondum baptizatus, contra Academicos vel de Academicis primum scripsi . . .”

Hos tres libros non simul esse scriptos et editos docet Retr. I, II. „Librum de beata vita non post libros de Academicis, sed inter illos ut scriberem, contigit.”

Quod si recte sensimus, verbo „scribendi” significari editionem, necesse est, aliqua pars librorum C. Ac. separatim ad Romanianum, ad quem hi libri scripti sunt, missa sit. Quam partem librum primum fuisse optime probatur his argumentis:

primum quod duo prooemia habemus, alterum primo, alterum secundo tertioque libro praemissum. Uno certe prooemio tres simul ornasset, si tres simul missi essent;

deinde quod in primi libri prooemio ipsis verbis indicatum est, eum librum separatim ante alios missum esse: C. Ac. I. 4 „Nam disputationem, quam inter se Trygetius et Licentius habuerunt, relatam in litteras tibi misi <sup>1)</sup> . . . Sane in hoc libro res et sententias illorum, mea vero et Alypii etiam verba lecturus es.”

Eodem pertinet locus in postremo capite libri I, ubi his verbis: „Quamobrem iam istam, ut dixi, disputationem terminemus et relatam in litteras mittamus, Licenti, potissimum patri tuo . . .” Augustinus se ipsum atque socios hortari videtur, ut, colloquio terminato, statim scribendi opus incipian.

### VI, 3. DEINDE LIBRUM D. B. V. SECUTUM ESSE.

Caput II libri I Retr. docet librum D. B. V. inter libros C. Ac. id est post primum librum C. Ac. scriptum esse.

<sup>1)</sup> Hic solus liber primus spectatur, ut cuius colloquia proprie Trygeti et Licenti opus dicantur C. Ac. III, 1. „Id etiam vestra pristina disceptatione confectum est”; C. Ac. III, 7. „. . . philosophia. . . , cui dulcissimas primitias iam vestro illo sermone libasti”.

Librorum II et III disceptatio contra inducitur his verbis: „Itaque iam cum Alypio . . . conflagam” (C. Ac. II, 8).

Idem ante librum II De Ord. perfectus erat; cf. De Ord. II, 1 „... in quadam disputatione non parvae rei, quam die natali meo cum convivis habui atque in libellum contuli ...” Eo igitur tempore, quo haec verba scribebantur, liber D. B. V. iam conscriptus erat. Et quoniam duo libri De Ord. simul perfecti et editi sunt (ut infra monstrabo), sequitur, ut ante hos duos liber D. B. V. ad editionem parata fuerit. Itaque recte Retr. I, II hunc D. B. V. librum primum enumerat „inter libros C. Ac.” scriptum.

VI, 4. DUOS DE ORDINE LIBROS ANTE LIBROS II ET III  
C. AC. ABSOLUTOS ESSE.

Retr. I, III „Per idem tempus inter illos qui de Academicis scripti sunt, duos etiam libros de Ordine scripsi ...” Quamquam in libro II De Ord. locus quidam affertur e disputatione libri III C. Ac., propter quem cogimur credere, disputationem libri II De Ord. habitam esse post disputationes libri III C. Ac., tamen hic legimus: „... inter illos, qui de Academicis scripti sunt duos etiam libros de Ordine scripsi ...” Ex quo concludendum est, disputationes C. Ac. finitas esse ante disputationem libri II De Ord., sed non statim in libros collatas ad Romanianum esse missas. Prius sermones libri II De Ord. in librum contulit et cum priore De Ord. libro, prooemio addito, ad Zenobium misit. Nam aliam explicationem non admittunt Augustini verba: „duos libros”.

Librum D. B. V. hos antecessisse iam docuit supra De Ord. II, 1.

VI, 5. DUOS DE ORDINE LIBROS SIMUL ESSE EDITOS.

Libros, quos De Ordine composuerat, affirmare licet, duos simul missos esse. Nam prooemium libri I ad utrumque per-

pertinet. Cf. De Ord. I, 4: . . . . . et quem fructum de liberali otio carpamus, hi te libri satis, ut opinor, edocebunt”.

Idem aliter quoque elucet. Prior De Ordine liber non eiusdemmodi ordinem ac secundus tractat. Cf. Retr. I, III: „. . . duos etiam libros De Ordine scripsi, in quibus magna quaestio versatur, utrum omnia bona et mala divinae providentiae ordo contineat. Sed cum rem viderem ad intelligendum difficilem satis aegre ad eorum perceptionem, cum quibus agebam, posse perduci, de ordine studendi loqui malui, quo a corporalibus ad incorporalia potest profici”.

Revera liber II De Ord. providentiae quaestione relicta, ad studiorum ordinem transit.


Quam eandem duplicem ordinis explicationem invenimus in prooemio libri I. Cf. § 1 „Ordinem rerum, Zenobi, consequi ac tenere cuique proprium, tum vero universitatis quo coërcetur ac regitur hic mundus, vel videre vel pandere difficillimum hominibus atque rarissimum est” et § 4: „Assequeris ergo ista, mihi crede, cum eruditioni operam dederis, qua purgatur et excolitur animus, nullo modo ante idoneus cui divina semina committantur. Quod totum cuiusmodi sit, et quem flagitet ordinem, quidve studiosis et bonis ratio promittat, . . . hi te libri satis, ut opinor, edocebunt”.

Prooemium igitur ad utriusque libri argumentum spectat, cum ad ordinem providentiae, tum ad ordinem studendi. Itaque duo libri cum una praefatione ad Zenobium missi sunt.

Sane concedendum est, priorem certe partem libri I De Ord. statim, itaque ante librum D. B. V. perscriptam esse; cf. De Ord. I, 26: „Atque ibi ut potuimus sane diligenter . . . omnia

nostrae lucubrationis opuscula in hanc libelli partem contulimus". Sed totus liber secundus, qui longe maiorem quaestionis partem continet, nec non praefatio libri I (quippe quae ad duos libros pertineat) et fortasse libri I pars posterior post librum D. B. V. scripta et una cum parte iam perfecta, edita sunt. Quare optimo iure libri De Ordine in Retractionibus post illum D. B. V. librum collocati sunt.

---



## VII. DE SOLILOQUIIS <sup>1)</sup>.

Monendum est, Soliloquiis non duplicem illum nascendi fuisse modum, qui dialogis ceteris fuit. Nam dialogi primum ex ore in tabulas, deinde e tabulis in libros relati sunt: Soliloquia Augustinus secum ipse disputans statim conscripsit nec tabulis ea sed libro mandavit.

Solil. I, 1. „R. Ergo scribendum est. Sed quid agis, quod valetudo tua scribendi laborem recusat? Nec ista dictari debent, nam solitudinem meram desiderant. A. Verum dicis. Itaque prorsus nescio quid agam. R. Ora salutem et auxilium, quo ad concupita pervenias, et hoc ipsum litteris manda, ut prole tua fias animosior”.

I, 27. „R. Concludamus, si placet, hoc primum volumen, ut iam in secundo aliquam, quae commoda occurrerit, aggrediamur viam. Non enim huic affectioni tuae a moderata exercitatione cessandum est. A. Non sinam omnino concludi hunc libellum, nisi mihi modicum, quo intentus sim de vicinia lucis aperueris.

II, 1. „Quare aggrediamur librum secundum”.

---

<sup>1)</sup> Librum, quem composuit S. Matinée quique inscriptus est: S. Aug. Aur. in Soliloquiis qualis philosophus appareat, qualis vir (Thèse, Rennes, 1864) in nostra patria, in Germania, in Franco-Gallia, cum per bibliothecas tum per bibliopolas enisus sum, ut pararem. Operam perdidit, temporum angustias incusavi! Nec magis novi, utrum, extra argumenti fines egressus, eiusdemmodi res atque ego tractaverit necne, cum apud neminem quidquam ex eo laudatum adhuc invenerim.

## VII, 1. DE TEMPORUM RATIONE.

## VII, 1, α. DE SOLILOQUIORUM PARTIBUS.

Liber prior duas partes continet, alteram altero die scriptam, unam, quae 1—23,

alteram, quae 24—30 amplectitur.

Postrema enim § 23 verba haec sunt: „Sed hodie satis, ut puto, scripsimus; parcendum est valetudini”.

Et § 24 incipit in hunc modum: „Et alio die: da quaeso, inquam, iam si potes illum ordinem”.

Ohlmann <sup>1)</sup> in calce annotat haec: „Haud satis accurate interpretatus esse videtur locum Soliloq. I 24 Woerterus l. c. p. 149; etenim Augustinus non dicit: die sequenti, sed alio die”. Quae Ohlmanni annotatio pertinet ad haec Woerteri verba: „Hier brach Augustin . . . für heute das Selbstgespräch ab, um es am folgenden Tage wieder auf zu nehmen.”

Hic Ohlm. iniuria vituperavit. Nam in § 25, quae sequitur, legimus: „Nonne vides quam veluti securi hesterno die pronuntiaverimus, nulla iam nos peste detineri, nihilque amare nisi sapientiam: cetera vero nonnisi propter istam quaerere aut velle? Quam tibi sordidus, quam foedus, quam execrabilis, quam horribilis complexus femineus videbatur, quando inter nos de uxoris cupiditate quaesitum est.” Quae omnia pertinent ad ea, quae „hesterno die” dicta et scripta erant. Facile enim in superiore Soliloquiorum parte talia inveniuntur. E quibus satis sit, ad id quod volo, afferre I, 17 „. . . nihil esse sentio quod magis ex arce deiciat animum virilem, quam blandimenta feminea.”

et I, 17 paulo inferius; „Quamobrem satis, credo, iuste

---

<sup>1)</sup> o. l. pag. 23.

atque utiliter pro libertate animae meae mihi imperavi, non cupere, non quaerere, non ducere uxorem."

et ibid. „Prorsus nihil huius modi quaero, nihil desidero, etiam cum horrore atque aspernatione talia recordor."

denique I, 20 in fine: „R. Non igitur et vitam istam propter seipsam, sed propter sapientiam vis manere. A. Sic est."

Pridie igitur fortem ac paene immotum sensuum blanditiis se putaverat; nunc postero die infirmum rursus et victum se confiteri cogitur, nam sic pergit § 25: „certe ista nocte vigilantes, cum rursus eadem nobiscum ageremus, sensisti, quam te aliter quam praesumseras imaginatae illae blanditiae et amara suavitas titillaverit . . . ."

Ergo cum legimus „alio die", nimirum intellegendum est: „postero die". Eodem sensu C. Ac. III, 1 „Cum post illum sermonem, quem secundus liber continet, alio die consedissemus in balneis . . . . sic exorsus sum"; nam disputatio libri III C. Ac. postero die post ultimum libri II sermonem — ipso Ohlmanno concedente — habita est.

Ergo duae illae meditationes libri I Solil. duobus continuis diebus fuerunt.

Liber II unam eamque non intermissam meditationem conscriptam continet, quae aliquanto post librum priorem orta et scripta est. Solil. II, 1 „Satis intermissum est opus nostrum . . . . Quare aggrediamur librum secundum."

#### VII, 1, β. QUANDO SOLILOQUIA SCRIPTA SINT.

Le Nain de Tillemont de hac re dicit: <sup>1)</sup> „Ce fut en ce temps là que le Saint fit ses Soliloques, <sup>a</sup> dans la 33<sup>e</sup> année de son âge, <sup>b</sup> fort peu après qu'il eut renoncé à l'amour des

<sup>1)</sup> o. l. Article XLIII.



honneurs et des dignitez, c et vers le mesme temps que ses Académiques et les autres livres, dont nous avons déjà parlé, mais néanmoins un peu après [c'est à dire en décembre 386 ou au commencement de 387].

a. Sol. I c. 10 § 17. b. I c. 11 § 18 et 19. c. Retr. I c. 4. ep. 151.

Hoc primum libenter concedimus, Soliloquia scripta esse eo tempore, quo Augustinus in Cassiciaco degebat. Alioquin Retr. cap. V non inciperet in hunc modum: „Post libros Soliloquiorum iam de agro Mediolanum reversus, scripsi librum De Immortalitate animae . . .” cf. etiam Conf. IX, 7.

Ceterum de Soliloquiorum partibus, etsi satis longo intervallo scriptae sunt, Tillemont nihil dicit. Eam quaestionem praetermittit. Neque id perspicuum est, utrum Soliloquia eo, quod indicat, tempore inchoata tantum an tota perfecta esse censeat; solum hoc dicit: „le Saint fit”.

Sed tres locos<sup>1)</sup> ex iis, quorum numeros adscripsit, paulo attentius inspiciamus.

a. Solil. I, 17 „Nam cum triginta-tres annos agam, quatuordecim fere anni sunt ex quo ista cupere destiti . . .” Locutio, quae est „annum agere” insolito more hic cum numerali cardinali coniuncta est. Sed non potest haec verborum esse vis, ut dicat, tricesimum tertium aetatis annum tum iam exactum esse; nam ne in Ostiis quidem cum morabatur, illum aetatis annum exegerat<sup>2)</sup>. Nihil igitur videtur restare nisi ut putemus idem valere „annos triginta tres agere” atque „annum tricesimum tertium agere”. Quare sequitur, ut haec Soliloquiorum prima pars — necnon reliquae partes — orta sit post idus novembres, Augustini diem natalem.

1) Ex eo loco, quem sub. b. adscripsit nulla nascitur controversia.

2) Conf. IX, 28 extr. et huius libelli pag. 7.

c. „néanmoins un peu après”. Attendamus haec verba. Primus videtur adhiberi Retr. I c. 4 „Inter haec scripsi etiam duo volumina secundum studium meum et amorem” (sc. Soliloquia). Verba, quae sunt „inter haec” contrariae potius thesi serviunt. Quare non video, quid aliud ex hoc capite Tillemont concludat, nisi Soliloquia post omnia alia opera scripta esse, quia post omnia alia enumerentur.

Deinde sub *c* adscripsit ep. 151. Quae epistula in Benedictinorum editione <sup>1)</sup> tertia est. Huius epistulae ad Nebridium datae partem necesse est hic plene exscribam: „Legi enim litteras tuas ad lucernam iam coenatus; proxime erat cubitio, sed non ita etiam dormitio: quippe diu mecum in lecto situs cogitavi, atque has loquelas habui, Augustinus ipse cum Augustino: Nonne verum est, quod Nebridio placet, beatos nos esse? non utique: nam stultos adhuc esse, nec ipse audet negare. Quid si etiam stultis beata vita contingit? durum, quasi vero parva, vel alia ulla miseria sit quam ipsa stultitia. Unde ergo illi visum est? an lectis illis libellis etiam sapientem me ausus est credere? Non usque adeo temeraria est laetitia gestiens, praesertim hominis, cuius quanti ponderis consideratio sit bene novimus. Illud igitur est: scripsit quod nobis putavit dulcissimum fore; quia et illi dulce factum est, quidquid posuimus in illis litteris et scripsit gaudens, nec curavit, quid committendum gaudenti calamo esset. Quid si Soliloquia legisset? laetaretur multo exundantius, nec tamen reperiret plus aliquid, quod me appellaret, quam beatum. Cito ergo summum nomen effudit in me, nec sibi aliquid reservavit, quod de me laetior asseveret. Vide laetitia quid faciat”.

Non temere hinc efficimus, Nebridium iam aliqua opuscula ab amico accepisse et legisse, antequam Soliloquia legisset.

---

<sup>1)</sup> Qua hic usus sum.

Sed quo iure omnes dialogi intelleguntur? Minime hoc necesse est. Quid impedit, quin ea tantum, quae prima perfecta erant (C. Ac. I, D. B. V.) ad eum missa esse putemus? Etenim de beata vita praecipue in hac epistola sermo est, de qua C. Ac. I partim, liber D. B. V. totus agit.

Recte igitur Tillemont: „et vers le mesme temps que ses Académiques et les autres livres, dont nous avons déjà parlé”, sed, cum dicit „mais néanmoins un peu après” (sc. après les Ac. et les autres livres) extra cancellos epistulae egreditur.

Benedictini quattuor locis idem attingunt.

Vit. II, IX, 6 „Augustini secessus haec adhuc Soliloquia peperit, eodum pene tempore, quo superiores libros: his enim illa subiungit, eaque se scripsisse indicat paulo post abiectam honorum ac dignitatum cupiditatem”.

Cui sententiae, tam caute prolatae, non habeo quod obiciam.

Vit. II, X, 2 „Cum . . . Nebridius Augustinum in villam secedentem sequi non potuisset, mutuis epistulis amicitiam foverunt. (Conf. lib. 9 c. 4, n. 7). Inter eas haud dubie numeranda est epistula tertia, ex qua patet libros ab Augustino mense novembri ante Soliloquia compositos Nebridio legenti adeo arrisisse ut gestientis animi motu velut abreptus continere se non potuerit, quominus eum beatum nuncuparet”.

His assentiendum esset, nisi verba addita „mense novembri” suspicionem moverent. Vitae enim scriptores fere omnia reliqua huius temporis opuscula mensi novembri attribuere videntur (cf. supra p. 34). Unde veremur, ne, ut Tillemont, hi quoque ea omnia a Nebridio lecta esse suadere velint. Id quod admitti quidem potest, minime tamen certum est, ut supra iam monui.

„Admonitio” Soliloquiis in editione praemissa haec dicit: „Cum id operis molitus est Augustinus, versabatur adhuc in rure Cassiciaco ex lib. 9. Conf. c. 4 agebatque annum aetatis

trigesimum tertium, ut ipse hic testatur lib. I c. 10. Quapropter sub initium anni Christi trecentesimali octogesimali septimi collocandum videtur; nisi forte quis velit ad superioris anni finem cum aliis hactenus recensitis operibus pertinere”.

Postrema verba „nisi forte . . . pertinere” permittunt, ut Soliloquiorum ortum sive post sive inter reliqua ponas. Sed quartus Benedictinorum locus (Praef. ad epist. I classis, ed. T. II) satis monstrat, qui sensus ubique lateat. Hic enim nihil ambigui relinquitur. „Quae hic ordine tertia est, ad Nebridium data, prodiit haud multo post Soliloquiorum opus, quod sub initium anni 387 perfectum fuit: quippe id operis a se recens editum esse innuit Augustinus n. 1. ‘Quid, ait, si Soliloquia legisset Nebridius, laetaretur multo exundantius; nec tamen reperiret plus aliquid quod me appellaret, quam beatum’. Et n. 4. ‘Nihil autem horum fieri posse, Soliloquia iam nostra continent’. Ex quibus verbis intelligitur libros de Academicis, de Beata Vita, aliosque exeunte anno 386 et ineunte 387 ante Soliloquia ab Augustino compositos, Nebridio legenti arrisisse, ut gestientis animi motu velut abreptus continere se non potuerit, quo minus eum beatum nuncuparet”.

Quibus idem obicias licet, quod supra viro docto Tillemont obiectum est. Praeterea iure aliquis mirabitur, cur Vit. II, X, 2 dictum sit „mense novembri ante Soliloquia compositos”, hic autem „exeunte anno 386 et ineunte 387 ante Soliloquia compositos”.

Ohlmann p. 23, iterato superiorum argumento, quod ex verbis „triginta-tres annos” profluxerat, haec addit: „Suspici quoque licet Soliloquia eum finivisse post reliquos omnes libros; nam in epistula I 3, quam aliquamdiu post dialogos in Cassiciaco compositos scripsisse Augustinum postea explanabimus, Soliloquia nuperrime expedita et absoluta esse indicat

§ 1 'Quid si Soliloquia legisset?' et § 4 'nihil autem horum fieri posse Soliloquia nostra iam continent'. Illam autem epistulam tractat p. 25 „Atqui in his epistulis commemorantur libri c. Acad., de vit. b., Soliloq.” Si commemorandi verbo vis inest nominatim afferendi, falso hoc adhibitum est; nam Soliloquiorum solum nomen in epistula occurrit. Sin Ohlmann dicere voluit, eorum dialogorum argumenta significari, id non valet in omnibus C. Acad. libris: § 3 „Neque enim Nebridio beatus quaerendo videor, sed fortasse aliquid inveniundo” ad argumentum libri I c. Ac. solius referri potest. Praeterea ad verba „post dialogos in Cassiciaco compositos” stabilienda etiam librorum De Ord. vestigia in hac epistula indicanda fuerant.

Si nonnisi verbis „lectis libellis” eius suspicio nititur, denuo monendum est, primum librum C. Ac. et librum D. B. V. intellegi posse.

Ohlm. p. 23 laudat *Retract.* I 4, 1: „Inter haec scripsi etiam duo volumina secundum studium meum et amorem”, atque inde conficit: „Soliloquia igitur inter illos dialogos scripta sunt”. Neque tamen inde iure efficitur Soliloquia perfecta esse antequam omnes reliqui dialogi finiti essent. Id quod et ipse Ohlmann optime vidit. Nam verba „inter haec” idem valent atque „interea” nec accurate aut initii aut finis tempus definiunt. De dialogis multo accuratius indicatum est.

Quodsi Ohlm. satis habuisset dicere: „de singulis accurate statuere quidquam non possum” <sup>1)</sup> nemo quereretur, Sed postea multo longius procedit: <sup>2)</sup> „Soliloquia inter reliquos libros in Cassiciaco scripta sunt, ut quasi solus cum solo meditaretur . . . . Mirum ergo non est, quod plurimae in Solilo-

<sup>1)</sup> p. 23.

<sup>2)</sup> p. 77, 78.

quorum libris, quas in antecedentibus dialogis enuntiatas iam vidimus, sententiae iterantur atque eo quidem ordine, ut inde fere conicere possemus, quomodo singuli disponendi essent dialogi, nisi aliunde idem iam statuissimus (cf. supra no. II).

E libro enim de vita beata redeunt sententiae Soliloq. 1, 4 'Ubi summa concordia, summa evidentia, summa constantia, summa plenitudo, summa vita. Ubi nihil deest, nihil redundat' (cf. de vit. b. 31 sqq.)."

Hoc et plura affert e Soliloquiis cum libro D. B. V. comparanda, atque ea e priore parte prioris libri.

Sed si qua dicta cum locis libri D. B. V. ex aliqua parte congruunt, tamen dubium est, utrum hic an illic prius posita sint. Nihil vetat credere, Augustinum ea quae prius in Soliloquiis excogitata essent, postea cum amicis colloquentem in communem usum in medium protulisse.

Nam ne ex his quidem verbis „triginta-tres annos" (Sol. I, 17) pro certo affirmare licet, disputationes D. B. V. omnes iam habitas fuisse, cum Soliloquiorum opus aggregeretur. Sermones libri D. B. V. omnes post prandium instituti sunt; potuit igitur Augustinus ante meridiem et ante sive post cenam secundi diei Soliloquiorum primam partem scribere.

Pergit Ohlm.: „Cum Augustinus scriberet, quae Soliloq. II, 10—17 continentur, certe sententiarum c. Acad. III inde a § 24 expositarum recens fuit memoria; in Soliloq. autem II, 19—21 redeunt sententiae e libro de ord. II petitae; Daedali exemplo, quod Soliloq. II, 20 inducit, usus iam est de ord. II, 37."

Et revera Solil. II, 10—17 non dissimiles sunt iis, quae C. Ac. III inde a § 24 legimus, quatenus uterque locus de sensuum fallaciis agit. Comparatio vero hoc solum docet, quanta varietate diversis locis eadem res explanata sit: uter locus alterum antecesserit, non docet.

Idem de Solil. II, 19—21 cum II libro de ordine comparatis iudicandum est.

Daedali autem exemplum Solil. II, 20 sic inducitur: „Hinc enim exstitit illud quod superius mirabamur, de volatu Daedali veram fabulam esse non potuisse, nisi Daedalum volasse falsum esset.” Istud „superius” referendum est ad Solil. II, 18, ubi acta erat quaestio de veritate in tabulis pictis, in tragoediis.

Et tantum abest ut Ohlmannum secuti credamus, ex Soliloquiis ordinem dialogorum erui posse, ut iam in priore parte prioris Soliloquiorum libri eadem explanata videamus, quae in postremo dialogorum libro (De Ord. II) explicantur. Solil. I, 23 „Nam ordine quodam ad eam (sapientiam sc.) pervenire bonae disciplinae officium est, sine ordino autem vix credibilis felicitatis.”

Roget quispiam: numquid statui posse putem?

Soliloquia in Retractationibus post dialogos recensentur. Id per se non magni esset pretii; peculiare enim eorum genus efficere potuit, ut post alia eiusdem temporis collocarentur. Sed Retr. I, V „Post libros Soliloquiorum iam de agro Mediolanum reversus, scripsi librum De Immortalitate animae” significat Solil. proxime ante reditum de agro et ante eum, qui tum secutus est, librum finita esse.

Et Retr. I, IV „Inter haec scripsi . . .” testatur Soliloquia, partim saltem, orta esse inter cetera opuscula, id est, inter ea coepta esse.

Tres igitur sunt loci (Solil. I, 17 „triginta-tres annos”, Retr. I, IV, Retr. I, V) qui tres conclusiones admittunt:

1. Soliloquia coepta esse post idus novembres,
2. eadem partim scripta esse inter dialogos.
3. finita esse post dialogos.

Epistula tertia falso ab omnibus adhibetur.

## VII, 2. DE LOCO SOLILOQUIORUM.

Amicorum congressio ad dialogos partim in balneis partim foris fuit. Sic etiam ad meditationes, quarum Soliloquia fructus sunt, Augustinus modo intra muros, modo extra in solitudinem secessisse videtur.

Quamquam non pariter atque in dialogis locus definite in exordio designatur.

Sed ex Solil. I, 28. „A. Quomodo autem interit aliquid verum? Non enim video. R. Miror te istud quaerere: nonne ante oculos nostros millia rerum videmus interire? Nisi forte putas hanc arborem aut esse arborem, sed veram non esse, aut certe interire non posse,” nisi fallor, licet intellegere, tum arborem iuxta fuisse, eandem fortasse, de qua narrat C. Ac. II, 25. „Itaque cum ad arborem solitam ventum esset, et mansissemus loco: velim, vos, inquam . . .”

Eodem modo tertia Soliloquiorum pars intra muros nata esse reperitur.

Cf. Solil. II, 3. „R. Iam illud videamus. Si tibi quispiam istum parietem non esse parietem, sed arborem diceret, quid putares?”

Ib. 5. „R. Responde unde tibi videatur paries iste verus esse.”

Ib. 6. „R. Quid illud, dasne istum parietem, si verus paries non sit, non esse parietem?”

## VII, 3. DE PRECATIONE SOLILOQUIORUM.

Sublimis illa ad Deum precatio continetur Solil. I, 2—6.

Quam aliquoties legenti mihi succurrit, num ita oravisset Augustinus, ut tres Sanctae Trinitatis personas singillatim allocutus sit. Si res ita se habeat, paulo diligentius inquirendum sit, quia nusquam neque Filius neque Sanctus Spiritus his suis nominibus appellantur.



Videntur tamen quattuor huius precationis esse partes, quarum prima Patrem, altera Filium, tertia Spiritum, quarta Unum Deum adit.

§ 3 posterior plurima e Sacra Scriptura petita et orationi intertexta refert. Quorum duo praeter reliqua digna sunt, quae attendantur. Sunt autem haec:

„Deus qui nos in omnem veritatem inducis” ex Johann. XIV, 13 et „Deus qui arguis saeculum de peccato, de iustitia et de iudicio” ex Johann. XIV, 8 petitum.

Atqui utroque Sacrae Scripturae loco de Spiritu sermo est. Ergo, si qua pars precationis ad solum Spiritum pertinet, haec est. Erint tamen, ut partitionem plane peragamus, termini huius partis constituendi. Initium puto esse, ubi quasi denuo Deus invocatur orandi verbo adhibito: „Deus per quem vincimus inimicum, te deprecor”. Quae deinde sequuntur apte ad Spiritum referuntur.

Eodem modo designari videtur initium secundae partis, qua ad Filium precatur: „Te invoco Deus veritas.”

Itaque tota § 2 Deum Patrem proprie adorat; § 3 (usque ad verba „Deus per quem vincimus”) Filium; cetera § 3 Spiritum. Sic tres personas singillatim allocutus deinde incipit unitatem in Trinitate venerari, § 4: „Quidquid a me dictum est, unus Deus tu, tu veni mihi in auxilium”.

Si primam partem (§ 2) cum secunda (§ 3 init.) componas, nonnulla invenias, quae inter se respondent:

§ 2, de Patre: Deus pater veritatis.

§ 3, de Filio: Deus veritas.

§ 2, : pater sapientiae.

§ 3, : Deus sapientia.

§ 2, : pater verae summaeque vitae.

§ 3, : Deus vera et summa vita.

§ 2, : pater beatitudinis.

- § 3, : Deus beatitudo.  
 § 2, : pater boni et pulchri.  
 § 3, : Deus bonum et pulchrum.  
 § 2, : pater intelligibilis lucis.  
 § 3, : Deus intelligibilis lux.

Nescio an rem unicuique iamdudum notissimam exposuerim laborque meus supervacaneus fuerit. Sed ne uno quidem verbo quemquam huius rei mentionem facere adhuc vidi. Et miror, quod vir doctissimus Otto Scheel, qui librum composuit, quem inscripsit „Die Anschauung Augustins über Christi Person und Werk”, in secundo capite <sup>1)</sup> sui operis nihil ex Solil. § 2, quod ad Filium pertineret, petivit.

---

<sup>1)</sup> II. Hauptteil. Die Christologie Augustins in der neuplatonischen Periode bis zum Jahre 391. — Quamquam Scheel aliis locis adhibitis lucide monstravit, illis nominibus quae sunt „Veritas” et „Sapientia”, quae supra ex Solil. § 2 et § 3 attuli, Deum Filium eo tempore ab Augustino appellatum esse.

## VIII. QUID CICERO IN HIS OPERIBUS VALUERIT.

### VIII, 1. DE OHLMANNI DISPUTATIONE.

E recentioribus scriptoribus duo omnium uberrime de hac re scripserunt. Quare ad eos propius accedamus. Prior fuit D. Ohlmann, cuius libri <sup>1)</sup> tertia pars — eaque maxima — id egit, ut Ciceronis Hortensii fragmenta, quae usque eo latuissent, detegeret atque indicaret. Nec sane scriptori ingenium defuit.

Cum C. Ac. liber I duorum potissimum adolescentium, Licenti et Trygeti, disputationes perscriptas contineat, Ohlmann adductus est, ut, unde hi duo suam philosophiae scientiam hausissent, statueret.

Primum effecit <sup>2)</sup> „hos, antequam in Cassiciacum venerunt. philosophiae nondum operam dedisse.” Ad hoc aliquot locos attulit. Deinde laudato inter alios loco C. Ac. I, 4 „Pauculis igitur diebus transactis, postquam in agro vivere coepimus, cum eos ad studia hortans atque animans ultra, quam optaveram, paratos et prorsus inhiantes viderem, volui tentare pro aetate, quid possent: praesertim cum Hortensius liber Ciceronis iam eos ex magna parte conciliasse philosophiae videretur.”, conclusit, Hortensium solum nec plures de philosophia libros ab adolescentibus lectos fuisse. His fundata sunt haec eius

---

<sup>1)</sup> De Aug. dial. in Cass. scriptis.

<sup>2)</sup> p. 33.

verba: „Uno igitur perlecto Hortensio Augustinus cum exercere discipulos vellet et videre, pro aetate quid possent, ‘nervosque et studia, quae ei magna erat cura, explorare’ et ‘quaerere, quantum in quaerenda veritate momenti ponerent’, disputationem Licentii et Trygetii instituit, quae in libro C. Acad. I servata nobis est. Sequitur, ut quotiescunque alteruter sententias graves ad philosophiam spectantes referunt, quales mens philosophia nondum imbuta excogitare nequit, quotiescunque eius modi sententiam a Cicerone sumptam esse discipuli affirmant, quotiescunque denique Augustinus rem ad philosophiam spectantem verbis ‘ut ait Tullius’, similibus ita inducit, ut eam nonnisi revocare velit in mentem discipulorum, de Hortensio cogitandum sit.”

Qua argumentatione Ohlm. planam quidem et commodam viam sibi stravit sed nimis violenter mihi egisse videtur.

Locus, quem integrum ab eo exscriptum supra laudavi (c. Ac. I, 4) plura eum docere poterat, quam ipse inde discere voluit. Non solum de Hortensio lecto ibi sermo est, verum etiam de Augustino adulescentium adhortatore atque doctore. Quantum hic sive in eorum studiis moderandis sive in interpretando Hortensio de se vel aliis addiderit, quis est, qui pro certo diiudicet? Hortensius in disputando crebro affertur; nec veri dissimile est eum saepius quasi exemplum et ducem fuisse, quippe cum boni praeceptoris sit, nova semper iis, quae nota sunt, annectere. Et quo iure de ipsius Augustini in hoc libro perscriptis verbis idem affirmatur: ea ex Hortensio fluxisse? Sic vitae beatae definitionem, ab ipso Augustino prolatam I § 5: „Quid censes, inquam, esse aliud beate vivere nisi secundum id, quod in homine optimum est, vivere? . . . Quis, inquam, dubitaverit, nihil aliud esse hominis optimum, quam eam partem animi, cui dominantiori obtemperare convenit cetera quaeque in homine sunt? Haec

autem, ne aliam postules definitionem, mens aut ratio dici potest," — hanc definitionem ad Hortensium Ohlm. refert, cum dicit: „Hanc sententiam fuisse fusius in Hortensio probatam et explanatam apparet e fragm. 97 ‘Quo magis hi fuerint in suo cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate’ et 81 ‘vide quid iste (Cicero in Hortensio) pro vivacitate mentis contra voluptatem corporis dicat.’”

Certe de eiusmodi rebus in Hortensio actum esse, facile credimus; quî unquam Protrepticus talia negligere potuit? Sed non quaeritur, an actum sit, sed quomodo actum sit, utrum Augustini verbis congruenter an aliter. Et cur hoc quasi novum quiddam magister discipulis suggereret, si et ipsi id in Hortensio legissent? Ipse Ohlm. adscribit locum Iamblich. protr. VII, 114 K, ubi similis sententia legitur. Quid impedit, quin Augustinus, si non ex ipso Iamblichio, at ex aliis Platonicis, quorum aliqua opera eum legisse notissimum est ex Conf. libris VII et VIII, hoc vel simile aliquid hauserit et in suum usum mutaverit?

Verba I, 7 „nihil ab homine percipi posse” a Licentio dicta, Plasberg <sup>1)</sup> e numero fragmentorum Hortensii removerat, cum arbitraretur haec verba ex Academicis Ciceronis sumpta esse. Cui adversatur Ohlmann, iterum admonens, nondum Academica a Licentio lecta esse. Nonne et hoc loco aliquo iure putari potest, Augustini, qui ipse illa legisset, praecepta horum verborum fontem fuisse?

Eodem modo omnium, quæ Ohlm. ex C. Ac. I nova eruit Hortensii fragmenta, ingenuitatem infirmare non lubet. Id sane concedendum est, ingeniose eum vidisse, quantum Hortensius ad incitandos et instruendos adulescentes valuerit. Sed plerumque, ubi quasi digito indicat „hoc et hoc ex

---

<sup>1)</sup> De M. Tullii Ciceronis Hortensio dialogo. Diss. 1892. p. 81.

Hortensio fluxit" ibi dubia pro certis vendit. Atque etiamsi quis haec dubia pro certis accipiat, nihilo minus non approbabit Ohlmanni conclusionem p. 47, „Hortensius igitur totius libri c. Acad. I fons iure meritoque dici potest". Nam hic longe extra cancellos egreditur.

Attamen haec via et ratio de Augustino iudicandi minus nocet in libro I C. Ac. quam in ceteris eiusdem operibus. Ipse Ohlmann iure p. 28 „Accuratius si inspicias, maxime quidem alterum et tertium c. Acad. librum inter se cohaerere cognosces, minus arte primum cum reliquis esse coniunctum", et p. 29 „duo enim illi adolescentes Licentius et Trygetius, quorum in libro I partes sunt primariae. in libro secundo magis magisque de scena decedunt". Et ego supra <sup>1)</sup> ostendi, inter amicos rusticantes hunc primum librum proprium Trygeti et Licenti opus putari. Itaque magis horum adolescentium quam ipsius Augustini ingenio obtretrat, quicumque exemplum quoddam quasi serviliter repetitum esse censet.

Iam ad librum D. B. V. transeamus. Nonnulla ibi quae Ciceronis nomine addito vel aliter fonte significato, dicuntur, emanavisse ex Hortensio Ohlm. satis lucide monstravit. Quid, si neque Cicero auctor nominatim additus est neque omnino auctores designantur? Excipio disputationis initium § 5 „Atque ego rursus exordians: Beatos esse nos volumus, inquam?" Nam id ex Hortensio sumptum esse tam omnibus notum erat, ut fontis memorandi causa non fuerit. Sed de ceteris, quotiescumque auctoris mentio non facta est, valde dubitandum est.

D. B. V. 25 eiusdemmodi res tractantur atque in libro De Tri. XIII, ubi Cicero auctor affertur. Et Ohlmann — nec veri dissimilis eius argumentatio est — monstrat Hor-

---

<sup>1)</sup> p. 58 ann.

tensium ibi (de Trin.) tecte dici. Sed quam dissiniliter in utroque libro de hac re agitur!

D. B. V. 25 legitur versus quidam Terentianus: „Quoniam non potest id fieri, quod vis, id velis, quod possit”. Idem versus laudatur De Trin. XIII, 10 atque is, ut apparet, e Cicerone, id est ex Hortensio desumptus: Etiamsi concedamus illum Terentianum versum non ab Augustino primum adhibitum esse, minime approbabimus Ohlmanni sententiam credentis, totam libri D. B. V. § 25 ex Hortensio sumptam esse; id quod Ohlm. contendit p. 62.

D. B. V. 30 hanc continet sententiam: „Primo autem die huius disputationis nostrae nequitiam dixeramus esse ab eo dictam, quod nec quicquam sit, cui contrariam frugalitatem a fruge fuisse nominatam”. Quibus verbis in memoriam revocantur ea, quae percripta leguntur D. B. V. 8: „Etenim ipsam nequitiam matrem omnium vitiorum ex eo, quod nequidquam sit, id est ex eo, quod nihil sit, veteres dictam esse voluerunt. Cui vitio, quae contraria virtus est, frugalitas nominatur. Ut igitur haec a fruge, id est a fructu propter quandam animorum fecunditatem, ita illa ab sterilitate, hoc est a nihilo, nequitia nominata est”.

Cum his Ohlm. confert Cic. Tusc. Qu. III 8 „Frugalitas, ut opinor a fruge, qua nihil melius in terra. Nequitia . . . ab eo, quod ne quidquam est in tali homine, ex quo idem nihili dicitur”. Recte hic statuit Ohlm., res et sententias, atque etiam verba mere Ciceroniana ab Augustino induci. Sed — id quod gravissimum est — minime aliena origo tacetur! („veteres dictam esse voluerunt”) Id magnopere premendum est, quia hinc apparet, quam non Augustinus aliena tamquam sua pronuntiet.

Cum autem de „fruge” diversa definitio ab utroque prolata sit, Ohlmann putat, Augustini definitionem necnon totam hanc

sententiam non ex Tusc. disp. sed ex Hortensio haustam esse, quod in Tusc. disp. libris multi loci ex Hortensio desumpti inveniuntur, auctore Hirzelio <sup>1)</sup>. At, siquidem nequitiae definitionem aperte confitetur ab aliis se mutuatum esse, cur frugalitatis definiendae fontem indicare Aug. omitteret, si ex eodem Cicerone emanavisset? Nonne fieri potest, ut hic Ciceronis definitionem corrigere voluerit? Parum enim reverentiae Augustino tribuitur, si, quidquid ab eo melius quam ab altero tractatum invenitur, ex libro quodam Ciceronis deperdito sumptum esse putatur.

Sic aliquot locis singillatim tractatis satis corroboratum esse videtur id quod iam W. Thimme <sup>2)</sup> in universum monuerat: „Dennoch dürfen wir uns beileibe nicht vorstellen, Augustin habe Ciceros Hortensius bzw. De Academicis ausgeschrieben, wie dies Ohlmann für Contra Academicos und De beata vita anzunehmen scheint. Mindestens sind Ausdrücke, wie die dasz die betr. Schriften Ciceros ‘die Quelle’ seien, aus welcher die beiden ersten Dialogen ‘geflossen’, ‘abgeleitet’ ‘entnommen’ seien, missverständlich. Mochte Cicero so mit seinen stoischen Quellen verfahren, anders Augustin”.

Eo solum minus iustum in Ohlm. se praebet, quod eum non tantum de Hortensio, sed etiam de Ciceronis Academicis ita loqui dicit. Cui crimini non obnoxius est.

#### VIII, 2. DE DREWNIOKII DISPUTATIONE.

Ohlmanni critices exercendae ratio laudatorem atque imitatore[m] nacta est Paulum Drewniok <sup>3)</sup>, a quo etiam in peius versa est.

<sup>1)</sup> Untersuchungen zu Cicero's philosophischen Schriften III p. 347.

<sup>2)</sup> Zeitschrift für Kirchengeschichte XXIX 1908 p. 5.

<sup>3)</sup> Paulus Drewniok. De Augustini contra Academicos libris III. Diss. inaug. Vratislaviae MCMXIII.



In priore praefationis pagina Ohlmanni conclusiones approbantur, quas satis supra a me oppugnatas esse puto.

Pag. 13 incipit ipsius Dr. comparatio prooemii libri I C. Ac. cum Cicerone. Duos Ciceronis locos (Tusc. V, 2 et De Off. II, 9) affert, qui aliqua ex parte cum libri I C. Ac. prooemio congruunt. At vocabulorum tantum — eorumque duorum vel trium — sententiarum non item similitudo quaedam deprehenditur! Dicas tamen satis superque fuisse, si constitueret, Augustino hos locos ante oculos vel in memoria versatos esse. Nimis magnum scilicet id fuisset pro Augustini imbecillo ingenio! Nam pergit vir doctus: „Num existimas eum ex duobus huius libris sententias indagatas in unum conexuisse? Prorsus hoc alienum est a probabilitate, praesertim cum disputationis inter Trygetium et Licentium habitae dialogus Hortensius fons constitutus sit”. Quasi, si dialogi primi C. Ac. libri solus Hortensius fons fuisset, ne adolescentium scientia superaretur, idcirco et ipsi Augustino non licuisset in prooemio ad Romanianum aliud quidquam adhibere nisi eundem Hortensium. Etiam totam hanc de Hortensio libri I C. Ac. fonte sententiam, ex Ohlmanni libro petitam, non rectis pedibus stare, iterum monendum est.

Tertius quoque quidam Ciceronis locus libri I prooemio propinquus esse Drewniokio videtur (p. 14). Utroque loco de fortuna agitur, quam homines vocare solent, si cuius rei causa occulta est. Hic quoque Dr. non abstinet, priusquam similes locos fuisse etiam in Hortensio libro deperdito monstravisse sibi videatur, et in hunc modum finem facit (p. 15) „Itaque cum etiam in prooemio, quo Romanianus ad philosophiam incitatur, sententiae cum Ciceronis locis valde congruentes appareant, auctorem nostrum illud totum ex Hortensio mutuatum esse veri simillimum existimo.”

Ergone credendum erit, Ciceroni Romanianum iam illo

tempore notum fuisse? Totum enim libri I C. Ac. prooemium spectat ad Romaniani propria èt pericula èt spem!

Sed iam isdem armis arrepturus est libri II prooemium! (p. 15).

Quia in eo prooemio nonnulla recurrunt, quae aliquam similitudinem referant, si ea compares cum quibusdam prooemii libri I verbis, et vox, quae est 'cursus', ibi obvius, in Hortensii fragmento 97 legitur, audet concludere: „optimo iure suspicor nullum alium fontem Augustino hac parte propositum fuisse, nisi eum, quem libro I.” (p. 17).

Sed non tam oppugnatione quam risu paene digna sunt, quae sequuntur in med. pag. 17. „Prooemium autem libri II quantopere cohaereat cum libro I, maxime elucet ex § 6, quam nunc inspiciamus. Primum comparentur verba ibidem explanata: 'Inde est illa hospitalitas, inde in conviviiis multa humanitatis condimenta, inde ipsa elegantia' cum Leg. III, 1: 'Marcus. Sequar . . . divinum illum virum. Atticus. Platonem videlicet dicis. M. Istum ipsum. A. Tu vero eum nec nimis valde . . . laudaveris; nam hoc mihi etiam nostri illi concedunt, ut cum arbitrato meo diligam. M. Bene hercle faciunt. Quid enim est elegantia tua dignius? cuius et vita et oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate'. Viden, quantopere hi loci inter se congruant? In utroque humanitas et elegantia attingitur! Fuitne igitur Plato exemplum Augustini? Immo: Cicero, qui ex Platone hauserat (sic fere Dr.). Comparantur eodem modo loci De Off. I, 15 et Fin. IV, 18 cum Augustini prooemio. Hosne igitur secutus est? Horumne meminerat in scribendo? Immo: Hortensii fragmentum 32 hoc habet: „Ubi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigandae veritatis?” Et quia locum C. Ac. II, 6. „Habet enim et ille quoddam decus animi . . .” sic Dr. interpretatus erat, ut „ille” esset „amor pulchritudinis vel secundum II, 7 amor sapientiae,”

iam quanta cognatio cum Hortensio agnoscitur! Iam audi Dr. (p. 19): „At ex (Hortensii) verbis ‘iste amor’ concludamus necesse est hunc iam antea a Cicerone explicatum esse. Haec fuisse c. Ac. II ea, quae cum servatis libris Tullii permagnas similitudines praebent, optimo iure suspicor.” Ut bene hanc ratiocinandi viam sequi possis, utile est redire ad p. 14 „At Cicero in libris de philosophia scriptis identidem, quod alterius totius argumentum tractatur, in alio vel aliis breviter perstringit,” id est: Quaecunque apud Augustinum servatis locis Tullianis similia tantum sunt, ea plane congruere suspicandum est cum locis, quae perierunt et quibus Cicero eadem tractaverat!

Inter ea quae comparanda adscripta sunt, est De Off. I, 15 „Formam quidem ipsam . . . et tamquam faciem honesti vides, quae si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiae.” Huic loco Dr. propinqua putavit C. Ac. II, 6. „Tanta se mihi philosophiae facies aperuit, ut non dicam tibi, qui eius incognitae fame semper arsisisti. sed si . . . eam demonstrare potuissem, nae ille . . . ad huius pulchritudinem blandus amor <sup>1)</sup> et . . . mirans . . . advolaret.” Hic non facere possum, quin dicam, non Ciceronis sed Vergili fragmentum ab Augustino urbane orationi intextum esse <sup>2)</sup>.

Sed hoc levius. Multo maius est, quod Drewniok totam hanc prooemii partem (II, 6, 7) prorsus non intellexit. Necesse mihi erit plene eam exscribere atque tractare, quamquam periculum est, ne eos, qui meum opus legant (siqui sint) excruciet. Simul perspicietur, quam Augustini nimia paene ubertas a cuiusque Ciceroniani loci stilo abhorreat!

<sup>1)</sup> cf. infra huius libri p. 84.

<sup>2)</sup> cf. huius libri cap. X.

C. Ac. II, 6 „Tunc vero quantulocunque iam lumine asperso, tanta se mihi philosophiae facies aperuit, ut non dicam tibi, qui eius incognitae fame semper arstisti, sed si ipsi adversario tuo, a quo nescio utrum plus exercearis quam impediaris, eam demonstrare potuissem, ne (= nae) ille et baias et amoena pomeria, et delicata nitidaque convivia, et domesticos histriones, postremo quidquid eum acriter commovet in quascunque delicias, abjiciens et relinquens, ad hujus pulcritudinem blandus amator <sup>1)</sup> et sanctus, mirans, anhelans, aestuans advolaret. Habet enim et ille, quod confitendum est, quoddam decus animi, vel potius decoris quasi sementem, quod erumpere in veram pulcritudinem nitens, tortuose ac deformiter inter scabra vitiorum et inter opinionum fallacium dumeta frondescit: tamen non cessat frondescere, et paucis acute ac diligenter in densa intuentibus quantum sinitur eminere. Inde est illa hospitalitas, inde in conviviis multa humanitatis condimenta, inde ipsa elegantia, nitor, mundissima facies omnium rerum, et undique cuncta perfundens adumbratae venustatis urbanitas”.

In media hac § legimus: „Habet enim et ille . . .” Quae verba necesse habet Dr. explicare his in parenthesi additis: „ille (sc. amor pulchritudinis vel secundum II 7 amor sapientiae)”. Sic ei placuit interpretari, „iterum atque iterum hunc Augustini locum legenti”. Non vidit Dr. vocem „ille” pertinere ad eundem, qui aliquanto ante eodem pronomine inductus erat („nae ille et baias et amoena pomeria . . . abjiciens . . . advolaret”) atque id pronomem indicare adversarium quendam

---

<sup>1)</sup> In edit. Bened. Antverpiensi, quae ad imaginem primae expressa est, legitur mendose „amor” pro „amator”; quod nullam interpretationem in hoc contextu admittit. Videtur Dr. editione Antv. usus esse, nam etiam Migne (Patrol. lat. 32) recte „amator” habet. Id tamen aliqua ex parte errorem excusat.

Romaniani, cuius paulo supra in contextu mentio facta esset („si ipsi adversario tuo . . . eam demonstrare potuissem”).

Quid sibi vult hic adversarius?

Romaniani rei familiaris afflicta erat ad tempus condicio. Id satis crebro significatur:

Conf. VI, 24 „Romanianus, . . . quem tunc graves aestus negotiorum suorum ad comitatum adtraxerant”.

C. Ac. I, 1 „. . . tibi tuo animo indigna multa accidunt”.

ib. 2 „. . . tot et tanta quae pertulisti adversa”.

Amici res adversae totis librorum I et II c. Ac. prooemiis materiam atque ipsum argumentum dederunt. Maxime perspicua praebet II, 4 extr.: „tam magno es elatus gaudio . . . ut te diceres, si tu ab illarum importunarum litium vinculis aliquo modo eximereris, omnia mea vincula etiam patrimonii tui mecum participatione rupturum”.

Litibus igitur implicitus erat. Aliquando tamen periculis liberatus est; id quod gratulatur epistula XV.

Verisimillimum igitur puto eum, qui in his litibus adversarius erat, dici C. Ac. II, 6.

Erat inimicus Romano ille quidem, sed non sordidi neque vulgaris animi; si non philosophiae, at „philocaliae” semina in eo erant. Id vel de inimico concedendum erat („quod confitendum est”).

Sed sive hunc, sive alium quendam adversarium dicit, id certe constat, quaecumque de C. Ac. II, 6 Dr. dixit, quaecumque conclusit ad Augustini fontes constituendos, ea falsa esse.

Nec semel tantum hic error viguit. § 7 Augustinus spem aperit, aliquando illum Romaniani inimicum se gremio philosophiae involuturum esse. Exclamat Aug.: „Quomodo ibi te cognitum, sicut verum fratrem amplecteretur?”

Sed iam iterum plene locum exscribam:

§ 7 „Philocalia ista vulgo dicitur: ne contempnas nomen

hoc ex vulgi nomine: nam philocalia et philosophia prope similiter cognominatae sunt, et quasi gentiles inter se videri volunt et sunt. Quid est enim philosophia? amor sapientiae. Quid philocalia? amor pulcritudinis. Quaere de Graecis. Quid ergo sapientia? nonne ipsa vera est pulcritudo? Germanae igitur istae sunt prorsus, et eodem parente procreatae: sed illa visco libidinis detracta caelo suo, et inclusa cavea populari, viciniam tamen nominis tenuit, ad commonendum aucupem, ne se contemnat. Hanc igitur sine pennis sordidatam et egentem volitans libere soror saepe agnoscit, sed raro liberat: non enim philocalia ista unde genus ducat agnoscit, nisi philosophia. Quam totam fabulam (nam subito Aesopus factus sum) Licentius tibi carmine suavius indicabit: poeta est enim pene perfectus. Ergo ille, si veram pulcritudinem cuius falsae amator est, sanatis renudatisque paulum oculis posset intueri, quanta voluptate philosophiae gremio se involveret? Quomodo ibi te cognitum, sicut verum fratrem amplecteretur? Miraris haec, et forsitan rides. Quid si haec explicarem ut volebam?"

Non mirum est, quod Drewniok, quippe qui totum adversarium neglexerit, in his offendit.

Dr. p. 20: „Inspiciamus nunc velim explicationes c. Ac. II 7: ‘Quomodo ibi te cognitum sicut verum fratrem amplecteretur!’ Hoc enim exemplo vis philosophiae exprimitur, qua efficiatur, ut in ipsa viventes, quamvis non sint naturae vinculo inter se coniuncti, tamen quasi veros fratres se complectantur. Illa autem verba, quae spectent Licentium et Romanianum, magnam praebent offensionem, cum Licentius filius Romaniani sit, quae societas naturae certe non minus est arta quam qua fratres coniunguntur. Quae cum ita sint. vis philosophiae illo exemplo non tam confirmatur, ut auctor voluit, quam infirmatur. In tantam autem incon-

cinnitatem is nisi causis extrinsecus allatis non potuit incidere, idque eo, quod nimis fontem secutus est. Nam Ciceroni coram amicis praestantiam philosophiae omnium rerum praedicanti licebat uni alterive eorum commode dicere: 'Si philosophiae totum te dedisses, istum (vel me) sicut verum fratrem amplectereris'".

Haec Dr. Sed quid ad Licentium ea verba „sicut verum fratrem te amplecteretur”? Nam Licentii nomen nisi in transitu non memoratur. Manifesto verba spectant ad adversarium; quem supra bis per „ille” indicaverat Aug.; hic post parvam digressionem ad eum redit scribens: „Ergo ille . . .” Sic etiam facilius intelleguntur verba: „Miraris haec, et forsitan rides”. Quid enim minus probabile erat Romaniano quam virum sibi inimicissimum aliquando verum fratrem se praebiturum esse? Quae Dr. suae explicationi annectit, hanc habent sententiam: Haec potuerunt legi apud Ciceronem, ad eiusdem amicos accommodata. Et Augustinus — caeca ovis! — „nimis fontem secutus” (p. 21) haec exscripsit!

Nulla, credo, ratione habita suorum temporum! Non ei scilicet in mentem venit, haec ad suos non apta esse! Talibus rationibus fretus Dr. p. 21 dicit: „. . . non solum librum I. sed etiam proemium libri II, quod amplectitur §§ 1—9, ex Hortensio sumptum esse certissime concludimus”.

Post haec pagg. 21—26 Dr. dat expositionem argumenti librorum c. Ac. II et III. In qua unum nimis negligit, Augustinum sc. explicationi Academicorum decretorum intexuisse suam propriam de Academicis sententiam, de qua separatim acturus sum cap. IX huius libri.

Ceterae Drewniokii libri paginae huic eius sententiae corroborandae serviunt: „Augustinus fere omnia, quae libris c. Ac. II et III leguntur, exscripsit ex Ciceronis Academicis,

iisque posterioribus". Iam Krische <sup>1)</sup> crediderat, Augustinum Ciceronis Academicis non prioribus sed posterioribus usum esse. Quem non habeo, quod oppugnem. Id solum quaeritur, quatenus et quomodo iis usus sit; huic quaestioni Dr. prave respondit. In universum probandum est quod de hac opusculi parte scripsit R. Philippson <sup>2)</sup>:

„Der methodische Fehler ist, dasz D. aus Äusserungen Augustins, die in den erhaltenen Bruchstücken der *Academica* nicht vorkommen, aber in einzelnen Wörtern und Bildern mit Stellen anderer Schriften Ciceros übereinstimmen, schlieszt, dasz sie aus den verlorenen *Academica* entnommen seien, wenn die aus Cicero entnommenen Stellen auch sachlich gar nichts mit Augustins Ansichten zu tun haben. . . . Diese Vergleiche beweisen weiter nichts, als dasz Augustin ein gründlicher Kenner der Ciceronischen Schriften war, und seinen Stil an diesen gebildet hat (und sind insofern fesselnd und belehrend). D. begreift nicht dasz Augustin im Unterschiede zu Cicero ein durchaus selbständiger Denker ist.“

Quam parvi etiam in hac parte Dr. Augustinum aestimaverit, demonstrant paginae (inter alias) 54 et 72. Utraque pagina negat fieri potuisse, ut Augustinus duos dispersos Ciceronis locos in unum contexeret et redigeret.

E pluribus aliis unum insuper addendum videtur:

pagg. 40 et 41 Dr. ita disputat: „Quantopere a fonte pendeat, cognoscas praecipue ex hoc exemplo in § 3 <sup>3)</sup> allato: ‘Nam ut sine navi . . . Aegaeum mare nemo transmittit, . . . ita quisquis ad sapientiae portum . . . voluerit, . . . necessariam mihi videtur habere fortunam.’ Etenim mirum puto ab Augustino exempli causa mare Graecum afferri, quasi illa

<sup>1)</sup> Göttinger Studien. 1845 II p. 180 sqq.

<sup>2)</sup> Berliner Philol. Wochenschrift 1915 kol. 1367 sq.

<sup>3)</sup> sc. libri III C. Ac.



aetate hoc celebrius alio quovis Romano fuerit. Magis utique erat consentaneum eum, qui in Italia Cassiciaci hanc disputationem haberet, mare quoddam occidentis orbis nominare. Itaque ne hoc quidem loco Augustini rationem plane intellego nisi eum a Cicerone illud exemplum suspicatus hausisse, quem ipsum Graecis auctoribus in scriptis philosophiae usum esse satis constat. Quae cum ita sint facile adduci possumus, ut credamus illum Hortensii sententias hic proferre."

Vere lucidum exemplum! Ergone Augustino non licuit aliud ullum mare afferre, nisi quod in Occidentali parte erat? Occidentis maria ei nota fuisse fortasse non dubium est, quippe qui ex Africa in Italiam navigasset. Non videt Dr., hoc totum de Aegaeo mari de industria esse electum, cum pertineret ad Daedalum, de quo in eadem orationis sententia mentio facta esset. Plenis enim verbis exemplum huiusmodi est: „Nam, ut sine navi, vel quolibet vehiculo, aut omnino, ne vel ipsum Daedalum timeam, sine ullis ad hanc rem accommodatis instrumentis, aut aliqua occultiore potentia Aegeum mare nemo transmittit . . . ."

Si Aug. dixisset: „sine navi", facilis obiectio fuisset: Daedalum nulla navi usum, sed alis adhibitis, Aegaeum mare transmisisse. Quam ob causam adicit haec: „aut omnino . . . . potentia."

Daedali autem iter narrat praeter alios Ovidius Metamm. VIII, 183 sqq. Ibi Icarum fingit cadentem prope Icariam, Aegaei maris insulam. Ex Asia Daedalus volavit in Siciliam et Italiam <sup>1)</sup>, trans mare Aegaeum.

Eiusdem Daedali mentio fit De Ord. II, 37; Solil. II, 20. —

Inter vitia, quae Philippson vocat „methodische Fehler," alterum quoque separatim numerandum esse puto.

<sup>1)</sup> Metamm. VIII, 260; Verg. Aen. VI, 14, 30.

Identidem Dr. cogitur confiteri, multo praestare Augustiniana iis, quae Ciceronis Academicis prioribus leguntur, etsi uterque eadem fere tractat.

Dr. p. 51. „Quod cum ab Augustino clarius demonstretur quam Ac. II <sup>1)</sup>, 43 . . . .”

p. 66. „Argumenta tam acute expressa Augustinus ex responsione tantum Ciceronis depromere non potuit.”

p. 67. „Sed quae tum ab illo c. Ac. III, 31 sqq. copiose exponuntur, eorum pauca tantum vestigia inveni(a)mus in Academicis, quae supersunt.”

p. 68. „Neque tam probabile est ea, quae ab Augustino perspicue et copiose sunt explanata, exorta esse ex tam parvis Luculli adumbrationibus.”

p. 70 „Cum vero de assensione multo plura ab Augustino explanari, quam in Lucullo inveniuntur, cognitum sit, neque ex paucis huius libri significationibus solis tam arguta argumenta eaque ornatissime exposita provenisse cogitari possit . . .”

Sed nil desperandum! Nam Dr. hoc sibi praebuit suffugium: Quaecumque — sic fere loquitur — e „Lucullo” non sumpta sunt, quaecumque Lucillum superant, ea fluxisse suspicor (concludo) ex Academicis posterioribus, quae non habemus.

Nulla iure ea, quae apud Augustinum melius, copiosius, ornatius quam in Ac. pr. exposita sunt, ex Ac. post. fluxisse dicuntur.

### VIII, 3. EPILOGUS.

Haud parvi ponderis nec parvae difficultatis est, quaerere, quaenam ratio Augustino in his eius opusculis cum Cicerone intercesserit. Cum superiores <sup>2)</sup> strictim tantum vel summa-

<sup>1)</sup> id. est: in Lucullo.

<sup>2)</sup> Velut Krische l. l.; R, Hirzel, Untersuchungen III; H. Usener, Gött. gel. Anz. 1892, I; C. Thiaucourt, „Mélanges Boissier” 1903.

tim hanc rem tractassent, Ohlmann primus, deinde Drewniok minutatim magis singula perscrutati sunt. Dolendum est, quod nimium demonstrare conati sunt. Hoc sane profecerunt, quod eam quaestionem protulerunt in medium, necnon hanc utilitatem ex eorum studiis perceperimus, quod suis comparationibus ostenderunt, quantopere Augustinus suum orationis genus ad Ciceronis exemplum finxisset.

Ne ego quidem in animo habeo isto officio satis perfungi; nam haud scio an singulari disquisitione et singulari libro — nec perexiguae, puto, molis — hic opus sit. Attamen iuvat aliquot studiorum fructus, quantulosecumque, offerre.

Imprimis mihi videtur veri simillimum esse, Augustinum Academicorum libros, qui Graece scripti essent, non legisse; quin etiam id temporis non tam, quam postea Graeci sermonis studiosum fuisse.

1. Cuius notum est, quantopere studia Graeca eum puerum vexaverint. Conf. I, 20 „Quid autem erat causae, cur graecas litteras oderam, quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem mihi satis exploratum est”.

Sed id puerile fortasse odium fuerat. Maius est, quod

2. Platoniorum quoque scripta non Graeca sed Latine versa legerat.

Conf. VII, 13. „... procurasti mihi per quendam hominem inmanissimo tyfo turgidum quosdam Platoniorum libros ex graeca lingua in latinum versos...”

Conf. VIII, 3 „ubi autem commemoravi legisse me quosdam libros Platoniorum, quos Victorinus... in latinam linguam transtulisset, gratulatus est mihi” (Simplicianus).

3. In Cassiciaco interdum negligentia quaedam, ne dicam fastidium, Graeci sermonis ostenditur.

C. Ac. III, 7 in Licentium „excogitandis versibus inhiantem” sic invehitur: „... malim auribus nostris inculces

versus tuos, quam ut in illis graecis tragoediis more avicularum, quas in caveis inclusas videmus, verba quae non intelligis cantes." Qui locus, si recte intellego, indicat, Licentium antea Graecas tragoedias recitare solitum esse, quamvis ignarus Graeci sermonis esset. Asperius instigatur, ut suos potius, quos excogitabat, versus recitet.

C. Ac. III, 18. "... in ipsam scholam Platonis, quae nomen ex eo dicitur accepisse, quod a populo sit secreta."

Academiae nomen — quo auctore? — explicatur velut si esset „ademia”(?)

De ord. II, 35. "... nata est illa librariorum et calculorum professio, quam Varro litterationem vocat: graece autem quomodo appelletur non satis in praesentia recolo."

4. Gravissimum, nisi fallor, indicium praebet tota de „verisimili” disputatio.

Apud Ciceronem id quod Academici in agendo sequuntur, probabile vocatur vel verisimile; his duobus nominibus manifesto una eademque res significatur. Velut Acad. pr. 32 „volunt enim ... probabile aliquid esse et quasi verisimile, eaque se uti regula et in agenda vita et in quaerendo et disserendo."

Augustinus autem arcem locat in altero nomine, quod est „veri-simile". In quo occulta quaedam vis latere ei videtur; de industria Academicos hoc vocabulum putat sibi elegisse, ut submonerent, id esse imaginem veri, cum ipsum verum, quod optime nossent, pro mysteriis custodirent<sup>1)</sup>. Argumentatio nititur non tam significatione huius nominis, quod utique apud Ciceronem idem dicit ac „probabile", quam eius forma. Cf. C. Ac. III, 40 „Sed quia hoc ... nec fas nec facile erat ostendere, reliquerunt posteris et quibus illo tem-

<sup>1)</sup> cf. huius libri cap. IX.

pore potuerunt, signum quoddam sententiae suae." Credit, eos consulto hoc (non aliud) vocabulum sibi sumpsisse.

Atqui Cicero „veri-simile" usurpat ille quidem, apud Academicos ipsos tamen inveniuntur vocabula, quae sunt „πιθανόν" et „εὐλόγον" <sup>1)</sup>. Quae vocabula illi Augustini interpretationi non ansam dant, cum in iis non insit vox veritatis. Neque eadem inest in verbo „εἰκόλις", quod Hirzel <sup>2)</sup> Augustini animo obversatum esse arbitratur <sup>3)</sup>.

Ideo iure mihi videor concludere, eum non Graecos, Latinos tantum sive imitatores sive translators legisse. Accedit, quod Carneades „αὐτὸς οὐδὲν κατέλιπεν" <sup>4)</sup> neque, ut videtur, Arcesilas <sup>5)</sup>, quorum utriusque et nomen et dogmata toties memorantur.

Sic iam suspicio movetur, quanta subsidia Cicero suppeditaverit in Academicorum doctrina disserenda. Neque id ipse dissimulat; pro antiquorum more — minus enim ingenue quam nostra aetate consuetudo fert, talia aperiebantur — satis libere confitetur, quis maxime auctor fuerit. Sane ubique fere de Academicis (plurali numero) sermo est et Graecorum placita disseruntur; sed Ciceronem maximae auctoritatis fuisse, testantur:

<sup>1)</sup> Sext. Math. VII, 158; Numenius apud Eus. Praep. Evang. XIV, 6.

<sup>2)</sup> Untersuchungen zu Cicero's philosophischen Schriften III, p. 216.

<sup>3)</sup> Ne talia quidem, qualia ad ipsa Academicorum vocabula explicanda adscribit Sext. Math. VII, 169 „κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὸν φαντασιούμενον σχέσειν ἡ μὲν ἐστὶ φαινομένη ἀληθής, ἡ δὲ οὐ φαινομένη ἀληθής ὣν ἡ μὲν φαινομένη ἀληθής ἐμφασίς καλεῖται παρὰ τοῖς Ἀκαδημαϊκοῖς καὶ πιθανότης καὶ πιθανὴ φαντασία, ἡ δὲ οὐ φαινομένη ἀληθής ἀπέμφασίς τε προσαγορεύεται καὶ ἀπειθής καὶ ἀπίθανος φαντασία" satis apta esse potuerunt, quibus Augustinus suum subtile inventum fundaret, quamquam ad Ciceronis locutionem aliquanto propius accederet. Neque eiusmodi verbosior explicatio recte „nomen" vel „vocabulum" dicitur. Cf. C. Ac. III, 24 „haec vocabula", „nomina imponere".

<sup>4)</sup> Diog. IV, 65.

<sup>5)</sup> Diog. IV, 32.

C. Ac. II, 1 „... omnis profecto Academicorum vel calumnia, vel pertinacia... cum ipsius Carneadis Cicero-  
nisque corporibus sepulta foret.”

C. Ac. III, 14. „... doctissimorum virorum auctoritati, inter quos maxime Tullius non movere nos non potest...”

ib. 45. „Legite Academicos et cum ibi victorem... istarum nugarum Ciceronem inveneritis...”

Quin etiam, cum antea voces „probabile” et „veri-simile” ad Academicos relatae sint, § 26, qua acrius res ad manus venit, solum Ciceronem ea vocabula tutari facit. Rursus tamen § 27 non obloquitur Licentio, Carneadem tamquam „veri-similis” auctorem accusanti.

Omne vero cautionis genus adhibendum est, ne praemature neve iniuste Augustinus fatuae imitationis arguatur.

Omnibus, qui de Academicis ut agerent sibi proposuerunt, haec inter se communia esse, paene necesse est:

1. Academicorum placita explicant.
2. Eorundem argumenta, quibus placita affirmare solebant, enumerant.
3. Eorum, qui his philosophis adversati sunt, telis probatis spectatisque utuntur.

Ea tria etiam Augustino aliquo loco tractanda erant neque ibi Ciceronem neglexit, quippe qui optime de his rebus Latine scripsisset. Quotiescumque haec tria attingebat, quem potius quam Ciceronem sequeretur? Praeterea quis mirabitur, eum ceterae quoque philosophiae vocabula decreta definitiones ex Cicerone hausisse, ut „a quo in latina lingua philosophia et inchoata esset et perfecta”? <sup>1)</sup>

Sed semper sui ingenii vim ostendit, cum non ad verbum

---

<sup>1)</sup> C. Ac. I, 8.

quidquam sed in suum usum mutatum suaeque orationis nitore ornatum, desumeret. Frustra quaeras locos, ubi Ciceronis ipsius aliquam sententiam totam ad verbum exscripsit, nisi alienam originem aperte confessus. Modo ipsius Ciceronis nomen, modo „veteres” (D. B. V. 8), modo „philosophorum libri” <sup>1)</sup> pro ipso Tullio ponuntur.

Ceterum ad illa tria, quae supra dicta sunt (placita, argumenta, tela probata) duas tantum partes destinavit, priorem C. Ac. II, 11—15, quae Academiae brevem expositionem et historiam dant, alteram C. Ac. III, 21—33, quae Academiam oppugnant. Reliquae partes fere totae proprias Augustini explanationes continent.

Operae pretium est illam alteram partem (C. Ac. III, 21—33) diligentius attendere. Non mirum est, quod in hac Ciceroniana multa inveniuntur. Sed supra <sup>2)</sup> iam ostendi vel invitum Drewniok ipsum crebro fateri, disputationes contra Academicos in hac parte multo praestare iis, quae in Academicis servatis leguntur. Quid tum postea? An statim ad Academica perdita provocandum est? Minime: Augustinus suum opus contra Academicos scripsit, id est contra Ciceronem potissimum, ut maximum, quem putabat, Academiae philosophiae patronum. Profecto Tullium vincere volebat. Neque igitur satis erat, argumenta adversaria e Ciceronis libris petere, quippe quae ad ipsum Ciceronem ab Academia revocandum non valuissent! Idcirco, ubicumque Ciceronem in Academia refellenda superat, ibi Augustinus maxime suis stare viribus, suo ipsius iudicio et ingenio niti putandus est!

---

1) D. B. V. 27, ubi Hortensium significari perspexit H. Usener, l. l. p. 381.

2) p. 89 sq.

## VIII, 4. NUM C. AC. II, 26 FRAGMENTUM CICERONIS CONTINEAT.

In praefatione Dr. Augustini C. Ac. II, 26 includere fragmentum Ciceronis strictim indicat, quasi res èt omnibus nota èt ab omni dubitatione tuta sit. Neque id mirum est, cum omnes adhuc Ciceronis editores idem sensisse videantur. Apud C. F. W. Muellerum est fragmentum Acad. post. 19. „Augustin. c. Academicos II 11. 26. Talia, inquit Academicus, mihi videntur omnia, quae probabilia vel veri similia putavi nominanda; quae tu si alio nomine vis vocare, non repugno; satis enim mihi est, te iam bene accepisse, quid dicam, id est, quibus rebus haec nomina imponam; non enim vocabulorum opificem sed rerum inquisitorem decet esse sapientem”.

Adductos esse viros doctos arbitror verbis „inquit Academicus” et verbis his, quae apud Augustinum paulo post sequuntur: „Quid putatis, inquam, Ciceronem, cuius haec verba sunt, inopem fuisse latinae linguae, ut minus apta rebus imponeret quas sentiebat nomina?”

Sed nescio an totus hic locus aliam quoque interpretationem admittat, quae integrum Ciceronis fragmentum agnoscere nos vetet. Illud „inquit Academicus” huic potuit servire proposito, ut eius sectae philosophus quidam (velut Cicero) quasi vivus induceretur et coram se defendere fingeretur. Non necesse est credere, eius verba ex libro quodam repetita esse. Intellege, Academicum sic dicturum fuisse, si colloquio interfuisset, si ipse dialogi persona fuisset. Etiam eius „Talia” respicit exemplum, quo ipse Augustinus modo „probabile vel veri simile” illustraverat: „Id probabile vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare. Sine assensione autem dico, ut id quod agimus non opinemur verum esse, aut non id scire arbitremur, agamus tamen. Ut verbi causa, utrum hesternae nocte tam liquida ac



pura, hodie tam laetus sol exorturus esset, si nos quispiam rogaret, credo quod nos id scire negaremus, diceremus tamen ita videri. Talia, inquit Academicus . . .”

Idem figurae, quae dicitur prosopopoeia, usus est c. Ac. III inde a § 18. Cf. III, 21 „Hoc et ego, inquit Archesilas, video, et hoc ipso doceo nihil percipi”.

Et § 23. „Sed assume aliquid, ait Academicus”.

Restat, ut alteram columnam labefactem.

Iam inde a II, 16 ortum erat certamen de nomine, quod est veri simile. § 16 Augustinus Licentio: „Si quisquam fratrem tuum visum patris tui similem affirmet, ipsumque patrem non noverit, nonne tibi insanus aut ineptus esse videbitur?”

Facile perspicimus, quid dicere voluerit: Qui ‘veri-simile’ inducunt idque se nosse profitentur, necesse est ipsum quoque verum noverint.

Etiam sic res exponitur § 19 „Ipsa res clamat similiter esse ridendos Academicos tuos, qui se in vita veri similitudinem sequi dicunt, cum ipsum verum quid sit, ignorent.”

Licentius turbatus pedem recipit. Trygetius paulisper periculo se obicit (§ 20), dum pro ‘veri simili’ alterum illud sc. ‘probabile’ substituere vult. Insistit tamen Augustinus: „An negas eos veri-simile dicere?” Tum Trygetius rem detulit ad Alypium. Qui mox monet (§ 24), videant, ne in verbi controversiam incidant: „. . . quid verba secteris ignoro”. Hic Augustinus (§ 24): „Non est ista, inquam, mihi crede, verborum, sed rerum ipsarum magna controversia<sup>1)</sup>: non enim illos viros eos fuisse arbitror, qui rebus nescirent nomina imponere; sed mihi haec vocabula videntur elegisse,

---

<sup>1)</sup> Augustinus enim de industria hoc vocabulum ab Academicis electum esse arbitrabatur; cf. huius libelli cap. IX.

et ad occultandam tardioribus et ad significandam vigilantioribus sententiam suam." Tenet haec usque ad finem § 26 disputatio; atque ibi hoc modo concluditur: „Quid putatis, inquam Ciceronem, cuius haec verba sunt . . .”

Nonne perspicuum est, ad orationem variandam modo nomina et vocabula, modo verba appellari duas illas Academicorum voces ‘veri simile’ et ‘probabile’? Et hanc sententiae partem: „cuius haec verba sunt” ita accipiendam esse, ut dicat: „cuius haec duo verba sunt”, neque igitur ad omnia, quae antecedunt, spectare? Vocem, quae est verbum, eadem ratione adhibuit Augustinus:

D. B. V. 20 extr. „. . . ne concludas beatum esse Academicum, qui hesterno sermone vulgari quidem et male latino, sed aptissimo sane, ut mihi videtur, verbo caducarius nominatus est.” Et D. B. V. 31 extr. „. . . modestiam et temperantiam: et haec duo verba diligentius attendamus.”

Ergo, si recte sentio, C. Ac. II, 26 nihil aliud docet nisi hoc notissimum: Ciceronem usum esse vocabulis, quae sunt veri simile et probabile; neque integrum Ciceronis fragmentum locus includit.

#### VIII, 5. DE DIENELII OPUSCULO.

R. Dienel aliquot libellos conscripsit de Ciceronis Hortensio; qui mihi, postquam ea, quae antecedunt, scripsi, in manus venerunt. Postremus appendicem fert de Augustini disputationibus (de beata vita) cum Hortensio comparatis <sup>1)</sup>.

Quantum alter liber ab altero descriptione, proposito, partibus differret, eum non fugit, neque id paucis indicare omisit. Sequitur deinde Augustini operis conspectus, passim annotatis similibus, qui putantur, Hortensii locis. In quo frequenter non

<sup>1)</sup> Programm des Mädchengymnasiums, Wien. 1914.

tam ad ipsas Hortensii reliquias, quam ad ea, quae (in priore libelli parte) ad fragmenta coniungenda intersuerat, revocamur. Sed nihil querendum est. Doctus enim hic Hortensii existimator Augustini quoque opus satis magni aestimat, testante conclusione: „Augustins Schrift ist also nicht abhängig von Ciceros Hortensius und verfügt selbständig über die Entlehnungen aus ihm; aber diese sind ausgiebig und überall schwebte Augustin bei der Leitung des Gespräches Ciceros Schrift vor. Es scheint, er habe dem Hortensius ein christliches Gegenbild entgegenstellen wollen“.

Nec sane facile Augustinus cum sodalibus de philosophis rebus agere poterat nisi Hortensii ratione habita. Hunc enim solum ab adolescentibus lectum esse iam Ohlmann (cuius studia Dienel non memorat) satis probabiliter persuaserat, hunc ipse Augustinus iam diu amaverat, hunc passim eorum, qui disputabant, animis obversatum esse, ostendunt loci ex eo laudati; in quorum numerum, monente Dienelio, adsciscenda sunt ea quae Navigius D. B. V. 14 refert: „Nam nescio quo modo contortum hoc et aculeatum, quod posuisti, ut ait ille de melle Hymetio, acriter dulce est, nihilque inflat viscera“. Cf. Hortensii fr. 84. Quod apud Ohlm. non repperi. Contra „nequitiae“ notionis explicationem (D. B. V. 8) unde Augustinus sumpsisset, melius vidit Ohlmann, qui p. 64 ascripsit Tusc. quaest. III, 8, 17 <sup>1)</sup>, quam Dienel, qui p. 16 haec dicit: „welches Wort, vielleicht nach Cicero, von ne quidquam = nihil abgeleitet wird“.

---

<sup>1)</sup> Cf. huius libri p. 79.

## IX. DE AUGUSTINI INVENTO.

Ciceronem prae omnibus antiquis unice delexit Augustinus.

Inspicias tantummodo indices eius operum i. v. Cicero, ubi multi loci notati sunt; qui sint gravissimi ad id tempus, de quo hic agitur, legas apud Zielinski <sup>1)</sup>: „Cicero ist ihm der vollendetste Künstler der lateinischen Rede (de mag. 16), der unermüdlichste Erzieher der Jugend zum Guten und Wahren (c. Ac. III, 16) <sup>2)</sup> vor allem aber — der erste und grösste römische Philosoph (c. Ac. I, 8).”

Hortensio lecto quantas gratias agunt Confessiones! Etiam in conversione enarranda, quoties in confectum iter respicit, illum librum, a se iuvene lectum, recordatur <sup>3)</sup>.

Haud scimus an Cicerone praecipue auctore Academicos secutus sit, eo vitae tempore, quod Conf. libris V et VI recenset. Atque etiam in libris C. Ac., cum Academicos dicit, Ciceronem magis quam quemquam alium dicit <sup>4)</sup>. Ciceronem enim valde Academiam amavisse constat, praesertim in ea philosophiae parte, quae ad cognitionis doctrinam pertinet <sup>5)</sup>.

Facile credimus, Augustinum iniquo fuisse animo, cum, ipse paulatim ex Academicorum vinculis liberatus, Ciceronem


<sup>1)</sup> Cicero im Wandel der Jahrhunderte p. 17.

<sup>2)</sup> Rectius: III, 35 (cap. XVII).

<sup>3)</sup> Conf. VI, 18; VIII, 17; Solil. I, 17; De B. V. 4.

<sup>4)</sup> Cf. huius libri p. 93 sq.

<sup>5)</sup> Quamquam in morali philosophiae parte ad Stoicorum „consensum gentium” recurrebat atque omnino ex omni genere optimum quidque eligebat.



propterea relinquere cogeretur. Magnum idcirco repperit, quod sibi persuasit, Academicos aliter sensisse ac scripsissent.

C. Ac. III, 37—41 quasi arcem huius Augustini sententiae habemus. Eorum, qui ibi uberius exposita sunt, brevis conspectus hic detur:

Plato duos mundos esse senserat, unum intelligibilem alterum sensibilem <sup>1)</sup>. Non facile cognitionem mundi intelligibilis homines acquirunt, nisi qui ab omnibus vitiis se purgaverunt. Venerunt autem Stoici, qui omnia corporea, ipsum Deum ignem esse docebant. Quae Stoicorum falsa doctrina ne multitudinem, ad falsa pronam, corrumperet, cavere Academici volebant. Quomodo illud facerent? An suam praeclaram mundi intelligibilis cognitionem Stoicis opponerent et divulgarent? Non licebat sacra profanis prodere! Quam ob causam ita rem aggressi sunt, ut certi nihil ipsi quidem praedicarent, Stoicorum vero certam fidem omnibus viribus infirmarent.

Ea rationis contra omnia disserendi origo fuit. Facilis tamen adversariorum obiectio fuit. Etenim, si nihil veri inveniri posset, quid sapiens in agendo sequeretur? Qua vitae norma uteretur? Quem ictum ut vitarent, Academici veri-simile sibi regulam esse dixerunt. Id erat idem, quod Stoici falso tamquam ipsum verum sequebantur. Sic extrinsecus isdem rebus, mutato nomine, quibus ceteri, actiones regebant; intus vero

<sup>1)</sup> De Platone haec: C. Ac. III, 37. „Sat est enim ad id quod volo, Platonem sensisse duos esse mundos, unum intelligibilem, in quo ipsa veritas habitaret, istum autem sensibilem, quem manifestum est nos visu tactuque sentire. Itaque illum verum, hunc verisimilem et ad illius imaginem factum. Et ideo de illo in ea quae se cognosceret anima, velut expoliri et quasi serenari veritatem; de hoc autem in stultorum animis non scientiam, sed opinionem posse generari. Quidquid tamen ageretur in hoc mundo per eas virtutes, quas civiles vocabat, aliarum verarum virtutum similes, quae nisi paucis sapientibus ignotae essent, non posse nisi veri simile nominari. 38. Haec et alia huiusmodi mihi videntur inter successores eius, quantum poterant, esse servata, et pro mysteriis custodita.”

persuasum iis erat, veri-simile esse imaginem alterius veritatis altioris, quae ad mundum intellegibilem pertineret. Nomen, quod est „veri-simile” aptissime adhibebatur, ut, quisquis acutius rem perpenderet, intimum agnosceret sensum.

Hanc Augustini sententiam ab iis, qui librorum C. Ac. argumentum enarraverunt <sup>1)</sup>, non satis spatii puto accepisse, atque omnino a viris doctis <sup>2)</sup> quodammodo neglectam esse, cum alii hunc unum (C. Ac. III 37—43), alii plures, nemo omnes locos collectos tractaret. Quare utile esse arbitror libros C. Ac. percurrentem talia cuncta congerere.

C. Ac. liber I non tam de universa Academica quaestione agit quam de ea parte, in qua quaeritur „etiamne non comprehenso vero beati esse possimus” (C. Ac. I, 5). Academicorum nomen in extremo libro primum occurrit: C. Ac. I, 24 „Ubi enim arcem locaverunt Academici, quorum tueris sententiam”. Quo fit ut in eo nihil ad id quod volumus inveniatur.

Contra liber II iam statim in initio prodit Augustini opinionem. „Si quam necesse est, disciplina atque scientia sapientiae vacuum esse non posse sapientem, tam eam necesse esset invenire dum quaeritur, omnis profecto Academicorum vel calumnia, vel pertinacia, vel pervicacia, vel (ut ego interdum arbitror) congrua illi temporis ratio... sepulta foret.”

Intellege: non ex animi sententia interdum arbitror eos

<sup>1)</sup> Bindemann o. l. p. 295—309; Wörter o. l. p. 75—103; Thimme o. l. 69—84; Drewniok o. l. p. 22—26.

<sup>2)</sup> Zeller, Die Philos. u. Griechen III<sup>3</sup>, 1 p. 493, 4; p. 593, 594, 1. (III<sup>4</sup>, 1, p. 510 et 615.)

Hirzel, Untersuchungen III, p. 216 sqq.

Ohlmann o. l. p. 75 sq.

Thimme o. l. p. 32 sq., p. 70 sq.

Drewniok p. 72—76.

loqui solitos esse, sed contra suae aetatis pericula, contra Stoicos se ita armavisse.

Ceterum prooemium (2—9), ad Romanianum scriptum, nihil fere de Academicis dicit; § 8 strictim attinguntur.

Propria disputatio oritur a § 10. Sententias Academicorum exponit Augustinus (10—12). Alypius explicat, quid interfuerit inter veterem et novam Academiam (14, 15). Haec in praefationis modum praemissa sunt nec quicquam de arcanis decretis continent.

Deinde § 16 statim Licentio, se favere Academicis confesso, opponuntur magna illa Augustini arma, cum interrogatur: „Si quisquam fratrem tuum visum patris tui similem esse affirmet, ipsumque patrem non noverit, nonne tibi insanus, aut ineptus videbitur? Et hic diu tacuit (Licentius).”

§§ 17 et 18 non tam proferunt pugnam quam ostendunt Licentium dubitantem et partes susceptas deponere conantem. § 19 rursus instat magister, dum persuadet „ridendos esse Academicos, qui se in vita verisimilitudinem sequi dicunt, cum ipsum verum quid sit ignorent.”

§ 20 Trygetius verbum „verisimile” minus aptum esse, praestare „probabile”, idque igitur disputandum esse monet. Nondum neque Trygetius neque Licentius perspexerant, quare id ipsum „verisimile” tantopere urgeretur.

§§, 21, 22, 23 Alypium novum propugnatores inducunt. Qui § 24 vetat de verbo controversiam fieri, cum res constet. Contra quem Augustinus: „Non est ista, mihi crede, verborum, sed rerum ipsarum magna controversia: non enim illos viros eos fuisse arbitror, qui rebus nescirent nomina imponere; sed mihi haec vocabula videntur elegisse, et ad occultandam tardioribus et ad significandam vigilantioribus sententiam suam. Quod quare et quomodo mihi videatur, exponam, cum prius illa discussero, quae ab eis tamquam cognitionis hu-

manae inimicis dicta homines putant... Nam illi mihi videntur graves omnino ac prudentes viri fuisse. Si quid est autem, quod nunc disputabimus, adversus eos erit, qui Academicos inventioni veritatis adversos fuisse crediderunt."

Dicit veritati inimicos videri illos quidem, non esse.

Dupliciter se acturum esse pollicetur:

1. ut ea, quae illi vero inveniando tamquam cognitionis inimici opposuerunt, oppugnet,

2. ut explicet, cur hoc „veri-simile” verbum electum sit et quid hoc sibi velit.

Ultima huius § verba, quae deinde sequuntur, monstrant, Augustinum ne ipsum quidem pro certo affirmare velle, eos aliter ac sentirent locutos esse: „Et ne me territum putes, etiam contra eos ipsos non invitus armabor, si non occultandae sententiae suae causa, ne ab eis temere pollutis mentibus, et quasi profanis quaedam veritatis sacra proderentur, sed ex animo illa quae in illorum libris legimus, defenderunt”.

§ 25. Nova disputatio confestim rursus redit ad rogatiunculam illam (II, 16 „Si quisquam... videbitur?") quae Licentium pridie turbaverat.

§ 26. Quid verisimile, quid probabile sit, non iam ex nomine sed ex exemplis cognoscitur. Augustinus coram discipulis nondum occultum propositum perspicientibus tamquam paene victum se gerit: „Satisne intellexistis, quomodo mihi ludicra illa quibus vos agitabam, de manibus excussa sint”.

Sed iam Licentium impetuosi animi adolescentem verbi „veri-simile”, quae videbatur, irrisio moverat, ut a Carneade deficeret (§ 27).

Quem § 28, quod tam cito fugerit, vituperat Alypius. § 29 Alypium apparet rem perspexisse aut certe aliquid suspicari, cum dicit: „... velim explices utilitatem primo



inquisitionis tuae <sup>1)</sup>, quae aut superflua est, ut opinor, et ei multo magis respondere superfluum est: aut etc. . . .” Ad quod Aug.: „Meninisti, me de his vocabulis post acturum”. Verisimile et probabile dicit. Res in alium diem ampliatur. „Et nunc ille sol admonet, ut quae ludicra pueris proposui redigam in cistas, praesertim cum ea ornandi iam potius quam vendendi gratia proponam”. Nondum vendentur speciosae res, quas Augustinus aut caute aut modeste „ludicra” appellat.

§ 29. At primum cavendum est, ne, si Alypius idem sentiat, quod Augustinus, pugna crastina inanis sit. „Itaque responde, quaeso, utrum tibi videantur Academici habuisse certam de veritate sententiam et eam temere ignotis vel non purgatis animis prodere noluisse. An vero ita senserint, ut eorum disputationes se habent”.

§ 30. Alypius nescire se confitetur, rogat tamen ut ipse vere Academicus habeatur et ita oppugnetur. „Tum ille: Quid illis animi fuerit, inquit, non temere confirmabo. Nam quantum ex libris colligi datur, tu melius nosti quae in verba sententiam suam promere soleant. Me autem de me ipso si consulis, inventum nondum verum esse puto. Adde etiam . . . nec posse inveniri me putare”.

Id feliciter evenit; alioquin Aug. aliter disputationem sustinuisset „paratus eram te rogare, ut Academicorum partes ita susciperes quasi tibi non solum disputasse, sed etiam sensisse viderentur, verum non posse comprehendit”.

Liber III non continuo ad Academiae argumenta refellenda transit; prius §§ 1—4 „utrum sit fortuna sapienti necessaria”, §§ 5—13 num Academicus sciat sapientiam suam, ergo solidi aliquid habeat, quaeritur.

<sup>1)</sup> Sic legendum est cum aliis editoribus. Benedictini praeferunt codicum „suae”, addentes: „refertur enim ad Licentium”; id quod sermonis leges vetant.

Sequitur §§ 14—36 subtilior refutatio <sup>1)</sup>, qua explananda supersedeo. Haec tamen praemissa sunt:

§ 14. „Tamen ne aut Academicorum argumenta quasdam nebulas videantur offundere, aut doctissimorum virorum auctoritati, inter quos maxime Tullius non movere nos non potest, superbe nonnullis resistere videamur, si vobis placet, prius pauca contra eos disseram, quibus videntur disputationes illae adversari veritati. Deinde ut mihi videtur, ostendam quae caussa fuerit Academicis occultandae sententiae suae.”

Erit certamen — pari modo supra (II, 24) dictum erat — non tam contra Academicos quam contra eos, qui putant eos veritati adversari. Finem dabit verae Academicorum sententiae explicatio. Quam etiam in media refutatione denuo denuntiat § 26 „Quidquid enim contra sensus ab eis disputatur, non contra omnes philosophos valet. Sunt enim qui ista omnia, quae corporis sensu accipit animus, opinionem posse gignere confitentur, scientiam vero negant. Quam tamen volunt intelligentia contineri, remotamque a sensibus in mente vivere. Et forte in eorum numero est sapiens ille quem quaerimus. Sed de hoc alias.”

Illa autem verae sententiae explicatio continetur §§ 36 extr.—43 eamque supra <sup>2)</sup> enarravi. —

Varie viri docti senserunt, cum alii proprium Augustini inventum agnoscerent, alii ex Cicerone id desumptum esse crederent.

Zeller <sup>3)</sup> allatis Sexti Pyrrhon. I, 234 et Eus. Praep. evang. XIV, 6, 5 (ubi Numenius Dioctem loquentem facit) et Aug. C. Ac. III, 38 et 40 monuerat, satis divulgatum esse apud antiquos, scepsin Academicorum dogmaticam, quae dicitur,

<sup>1)</sup> Cf. Bindemann, Wörter, Thimme, Drewniok.

<sup>2)</sup> p. 101.

<sup>3)</sup> o. l. pag. 493. (III<sup>4</sup>, 1, pag. 510 et pag. 615.)

sententiam tectam habere, eamque Platoniam. Quem fontem suspicaretur docuerat p. 594 (in ann.): „Diese Behauptung begegnet uns öfters; dasz sie in letzter Beziehung von Philo her stammt, wird theils durch ihren Zusammenhang mit allen übrigen Voraussetzungen desselben, theils dadurch wahrscheinlich, dasz sie sich nicht allein bei August. c. Acad. III, 17, 38, 18, 40 findet, sondern dieser sich auch c. 20, 43 dafür ausdrücklich auf Cicero beruft.“

Augustini autem verba sunt § 43: „Quisquis autem putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat. Ait enim illis morem fuisse occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam nisi qui secum ad senectutem usque vixisset, aperire consuesse.“

Contra Zellerum Hirzel <sup>1)</sup>, postquam concessit fieri potuisse, ut Augustinus ex fontibus suis de arcana quadam Academicorum doctrina aliquid hauserit, recte contendit, quae ea doctrina fuisset, id non indidem sumptum esse. Eam Platonis fuisse, id ab Augustino ipso esse excogitatum. Neque eum ad Ciceronis auctoritatem in hac altera re appellare. Affert <sup>2)</sup> Aug. C. Ac. III, 37 „Audite iam paulo attentius, non quid sciam sed quid existimem: hoc enim ad ultimum reservabam, ut explicarem si possem quale mihi videatur esse totum Academicorum consilium,“ et ib. 38 „haec et alia huiusmodi mihi videntur inter successores eius, quantum poterant, esse servata, et pro mysteriis custodita“ <sup>3)</sup>.

Deinde haec sua addidit: „Würde Augustin sich so wohl ausgedrückt haben, wenn er den Inhalt seiner Mittheilung aus einer älteren Ueberlieferung schöpfte? Gewiss nicht; vielmehr

<sup>1)</sup> Untersuchungen III, pag. 216 sq.

<sup>2)</sup> pag. 217.

<sup>3)</sup> Hirzel p. 218 addit ex III, 43: „mihi—persuasi“ et „eam arbitror Platonis fuisse“.

weist die Form der Worte darauf hin dass wir hier lediglich eine Vermutung des Kirchenvaters vor uns haben, mit der er die Ueberlieferung ergänzen wollte".

Potuerat Hirzel hos quoque locos afferre:

C. Ac. II, 1 „ut ego interdum arbitror..."

ib., 23 „non enim illos viros eos fuisse arbitror... sed mihi videntur..." (plene mei libri p. 103 sq.).

ib. „quod quare et quomodo mihi videntur..."

ib. „nam illi mihi videntur... prudentes viri fuisse".

III, 14 „Deinde ut mihi videtur ostendam..." (plene p. 106)

Huc quoque pertinet, quod tam caute et modeste de hac re loquitur. (II, 26 „ludicra").

Maxima vero praebet Epist. I ad Hermogenianum, quae paene scatet indicis. E quibus affero: „Quamobrem... illud magis peto diligentius consideres mihi que rescribas utrum approbes quod in extremo <sup>1)</sup> tertii libri suspiciosius fortasse quam certius, utilius tamen, ut arbitror, quam incredibilius putavi credendum". <sup>2)</sup>

His locis satis elucet, quantopere illud sibi ipse Augustinus vindicaverit neque ignobile inventum iudicaverit. Et omnes viri docti rectum viderunt praeter Wörterum, <sup>3)</sup> qui Zellerum laudat, Hirzelli nulla mentione facta et Drewniokium, qui suo more totum illud ex Cicerone fluxisse contendit. Quem loci laudati satis refellunt.

<sup>1)</sup> Intellege §§ 37—43.

<sup>2)</sup> Hanc epistulam adhibuerunt Ohlmann o. l. pag. 75 sq.; Thimme o. l. pag. 32 sq. Offendunt tamen huius verba pag. 32 in ann.: „Augustin nimt ihn (diesen Gedanken sc.) nicht als seine Entdeckung in Anspruch, sondern Metrodor. sagt er, habe ihn zuerst ausgesprochen C. Ac. III, 41". Nam id Augustinus minime ausus est dicere, quamvis cuperet quam plurimos in sua castra traducere. Verba III, 41 „ad Platonis auctoritatem legesque revocare", quomodo accipienda sint, optime mihi videtur explanasse Hirzel o. l. III p. 194—229.

<sup>3)</sup> o. l. p. 76 ann. 1.

Cum iam satis constet, ipsum maxime auctorem fuisse, non est, quod ea, quae apud Sextum et Eusebium leguntur, diligentius tractemus. Quid enim tantopere gloriaretur, Platonem latentem se detexisse, si alii iam ante idem fecisse novisset?

Sed ad extremum interest aliquid, quaerere, quatenus omnino cuicumodi arcanae doctrinae Cicero ei auctor fuerit. C. Ac. III, 40 „Quisquis autem putat . . . consuesse”, quam aliquanto ante exscripsi, conferenda est cum Cic. Ac. pr. 60. „restat illud quod dicunt veri inveniendi causa contra omnia dici oportere et pro omnibus, volo igitur videre, quid inveniunt. ‘non solemus’, inquit, ‘ostendere’. quae sunt tandem ista mysteria? aut cur celatis sententiam vestram? ‘ut, qui audient’, inquit, ‘ratione potius quam auctoritate ducantur.’”

Perspicuum est, nimis hos locos urgeri, si quis in iis arcana decreta deprehendere velit. Nam de communi quadam omnium Academicorum doctrina eaque furtim servata non sermo est. Fortasse id quod, pro se quisque, Academici, volventibus aetatis annis, sibi persuadebant, significatur. Augustinus haec in suum usum interpretatus esse videtur.

Dicat quispiam, Ciceronis scripta deperdita (velut Academicarum Quaestionum partem aliquam) Augustino fortasse maiora suppeditavisse. Puto, si magis perspicua Cicero praebuisset, ea Augustinum allaturum fuisse <sup>1)</sup>. Quin etiam satis multa indicia sunt, quae produnt Ciceronem nec definite nec pro certo affirmavisse, quaedam placita esoterica, ut hoc verbo utar, tradi solere. Nam:

---

<sup>1)</sup> Nullum alium locum ei praesto fuisse, docere mihi videtur C. Ac. III, 38 „Haec et alia huiusmodi mihi videntur inter successores eius, quantum poterant, esse servata, et pro mysteriis custodita”. Vocem quae est „mysteria” ex illo Ciceroniano loco fluxisse puto, ubi per ludibrium ab adversario usurpata erat.

1. C. Ac. II, 24 legimus: „Et ne me territum putes, etiam contra eos ipsos non invitus armabor, si non occultandae sententiae suae causa . . . sed ex animo illa, quae in eorum libris legimus, defenderunt.”

2. C. Ac. II, 30 Alypius amico roganti: „An vero ita senserint ut eorum disputationes se habent” respondet: „Quid illis animi fuerit, inquit, non temere confirmabo. Nam quantum ex libris colligi datur, tu melius nosti quae in verba sententiam suam promere soleant.” Et Alypius optime noverat, quid Cicero de Academicis scripsisset! Cf. C. Ac. II, 14, 15.

3. Saepius legimus, homines dolum illum non animadvertere (velut II, 24 „contra eos, qui . . . crediderunt”; III, 14 „contra eos, . . . quibus videntur”). Neque igitur Cicero id monuerat.

4. Non tam vehementer ipse Academicorum decreta impugnasset, si procul dubio fuisset, eos aliter sensisse ac dicerent.

Itaque exiguae audaciae est statuere, eum admodum parva indicia habuisse atque ea, quibus ne ipse quidem satis confideret <sup>1)</sup>).

---

<sup>1)</sup> His puto magis etiam affirmari ea, quae Hirzel Unters. III p. 195—229 opposuit Zellero suadenti, Philonem, Ciceronis in Acad. post. auctorem, dogmatis iisque Platonicis favisse.

---

## X. VERGILIANA QUAEDAM INDICANTUR.

Cum omni vitae tempore Augustino Vergilius gratus fuit, tum vero in his primis operibus poetae nomini et carminibus debitus honor tributus est.

Vir doctus J. Vasold <sup>1)</sup>, omnia Augustini opera perscrutatus, collegit, quae e Vergilio hausta erant, sive versus, sive hemisticha vel versuum partes. Cuius scientiam et ingens studium non possumus non laudare, quod tantopere superiorum messes auxit. Neque habemus, quod miremur in tanta Augustini scriptorum multitudine nonnulla etiam illum e Vergilio sumpta praetermisisse.

Itaque e libris, qui in Cassiciaco prodierunt, ego conquisivi aliquot eiusmodi locos, qui adhuc latuerant;

C. Ac. I, 9 „... hoc corpus, hoc est tenebrosum carcerem...”

cf. Aen. VI, 734 „... clausae tenebris et carcere caeco”.

C. Ac. I, 18 „... quid secum ipse tacitus volveret”.

cf. Ecl. IX, 37 „... tacitus, Lycida, mecum ipse voluto”.

. et Aen. I, 50 „... secum dea corde volutans”.

C. Ac. II, 1 „... teneat cursum suum, a quo eum nullus casus excutiat”.

cf. Aen. III, 200 „... excutimur cursu”.

---

<sup>1)</sup> Dr. J. Vasold, Augustinus quae hauserit ex Vergilio; Wissenschaftliche Beilage zum Jahresbericht des Theresiengymnasiums. München. Pars prior 1907. Altera pars 1908.

C. Ac. II, 1 „...Academicorum . . . arma . . . invicta et quasi Vulcania videantur.”

cf. Aen. VIII, 535 „...Vulcaniaque arma”<sup>1)</sup>.

C. Ac. II, 1 „... hinc tibi metuo, hinc te cupio liberari”.

cf. Aen. VI, 733 „hinc metuunt cupiuntque...”.

C. Ac. II, 6 „... tanta se mihi philosophiae facies aperuit...”.

cf. Aen. VII, 448 „Tantaque se facies aperit...”.

C. Ac. II, 22. „Tollamus de medio iam cuncta ista; arma acri facienda viro;”

cf. Aen. VIII, 439. „Tollite cuncta, inquit...”

ib. 441 „Arma acri facienda viro”<sup>2)</sup>.

C. Ac. III, 44 „... qui nos in ipsa veritatis arcana, Deo iam monstrante perducatur.”

cf. Aen. I, 382. „... matre dea monstrante viam”...

D. B. V. 4 „... caliginem dispuli...”

cf. Aen. V, 839 „... dispulit umbras...”.

De Ord. I, 6 „... ne imber ingrueret...”

cf. Aen. XII, 284, „... ingruit imber.”

De Ord. I, 24 „... motato capite...”

cf. Ecl. VI, 28 „... motant cacumina quercus”..

<sup>1)</sup> Idem Cic. Tusc. Quaest. II, 14, 33 „... tectus vulcaniis armis...”.

<sup>2)</sup> Hemistichon Aen. VIII, 441: „Arma acri facienda viro” iam Vasold, veteres editores secutus, attulerat. Augustini verba „Tollamus cuncta” apud Vergilium paulo ante legi, non viderunt.



De Ord. II, 16 „...longe lateque”.

cf. Aen VI, 378 „...longe lateque per urbes...”

Solil. I, 9 „...praecipitare iubes...”

cf. Aen. II, 37 „praecipitare iubent...”

Solil. II, 1 „...temperabis a lacrymis?”

cf. Aen. II, 6, 8 „...Quis talia fando... temperet a lacrimis?”


Nonnulla et Vasoldii et mea possunt cuiquam videri aut ex aliis hausta aut esse communis omnium Latinorum thesauri. Quocirca utile est admonere, quam studiose, praesertim in Cassiciaco, Augustinus Vergilio legendo operam dedit. Id quod testantur:

C. Ac. I, 15 „... diesque pene totus cum in rebus rusticis ordinandis, tum in recensione primi libri Virgilii peractus fuit.”

C. Ac. II, 10 „Post pristinum sermonem, quem in primum librum contulimus, septem fere diebus a disputando fuimus otiosi, cum tres tantum Virgilii libros post primum recense-remus, atque ut in tempore congruere videbatur, tractaremus.”

C. Ac. III, 1 „Nam et tu, Trygeti, Virgili carminibus te oblectasti...”

De Ord. I, 26 „Nihilque a me aliud est actum illo die, ut valetudini parcerem, nisi quod ante coenam cum ipsis dimidium volumen Virgilii audire quotidie solitus eram, nihil nobis ubique aliud quam rerum modum considerantibus.”



## XI. MINORES QUAESTIONES.

### XI, 1. NUM OMNIA, QUAE DISPUTATA SUNT, PERSCRIPTA SINT.

Aliquot locis indicia insunt, quibus certi fiamus, non omnia, quae Augustinus disputaverit, ad nos pervenisse.

C. Ac. II, 8 (ad Romanianum) „. . . tamen si quid superstitiosis in animum revolutum est, eiicietur profecto, vel cum tibi aliquam inter nos disputationem de Religione misero, vel cum praesens tecum multa contulero.”

Hunc de religione dialogum postea revixisse in librum de Vera Religione, Benedictini aiunt in Admonitione, quam ei libro praemisissent: „Iam ante annos aliquot huius argumenti tractationem Romano civi suo et Maecenati pollicitus erat, ut meminit cap. 7 no. 12 <sup>1)</sup>. Id vero in se receperat scribens an. 386 contra Academicos lib. 2 cap. 3 no. 8. Porro in epistula 113 ad Romanianum confectum a se opus memorat, ipsi propediem transmittendum.”

Monendum tamen est, librum illum continua oratione esse scriptum neque referre alacrem disputandi morem, qui proprius est operum in Cassiciaco factorum. Forma prorsus mutata est. Quid impedit, quin putemus, multo etiam plura eum mutavisse? Neque igitur possumus cognoscere, quantum aut congruerint aut discreparint inter se liber, qui postea scriptus et dialogus,

---

<sup>1)</sup> „Quamobrem cum ante paucos annos promiseram tibi scribere, carissime mihi Romaniane, quid de vera religione sentirem, tempus nunc esse arbitratus . . .”

qui ruri habitus est. Nimirum liber de Vera Religione provectiorem, ut ita dicam, Augustinum ostendit; id quod vel hinc elucet, quod vox, quae est „carnalis” (vox biblica) <sup>1)</sup> in Cassiciaco nondum, quantum ex libris iudicare possumus, in libro d. Ver. Rel. iam aliquoties occurrit (velut cap. IX § 23).

Nulla disputatio, hac de Religione excepta, nominatim affertur. Et fortasse quaecumque maiora exstiterant, tabulis mandare solebat et in eos libros, quorum titulos novimus, contulit. Attamen necesse est minoris pretii et exiguos sermones multos fuisse de iis rebus, quae animos pepulissent.

Idem intellegitur ex Trygetii verbis, quae De Ord. II, 6 memorantur. Ea Augustinus miratur, meminit tamen, se ipsum id dicere. § 7: „Quam sententiam eius cum admiratione considerans, recordatus sum idipsum aliquando me breviter illo audiente dixisse.”

## XI, 2. DE NAVIGII PRAESENTIA.

Initio libri I C. Ac. (§ 5) Navigius, frater Augustini unam tantum sententiam promit nec postea eius nomen <sup>2)</sup> in huius libri sermonibus recurrit. Itaque dubitare possumus, annon Navigius toti huic causae, primo libro peractae, interfuerit.

Cum in hunc librum tres disputationes collatae sint, demonstrare volo, eum primae totius participem fuisse, de ceteris autem non constare, utrum tacitus interfuerit necne.

§ 10 Licentius petit ut causa ampliatur: „... peto a vobis ut usque in crastinam lucem quaestio differatur”. Non frustra petit, nam Augustinus ita pergit narrare: Quod cum concedendum putarem, non renuentibus ceteris deambulatum ire

<sup>1)</sup> et „spiritalis” (§ 12).

<sup>2)</sup> Nisi quod § 6 ad verba § 5 respicit.

surreximus . . .” Vocabulo, quod est „ceteris”, locus non aptus fuisset, nisi praeter ipsum Augustinum et Licentium duo minimum adfuissent, i. e. Trygetius et Navigius. Neque igitur una cum Alypio discessit.

Posthaec in libro I nusquam inveniuntur, quae ad numerum amicorum constituendum valeant. Sane § 25, ubi Augustinus causae, ut hoc verbo utar, coniunctionem dat, legimus: „. . . coeperam ex vobis quaerere quantum in ea (sc. in veritate quaerenda) momenti poneretis: omnes autem tantum posuistis ut plus non desiderem.” Sed ea verba spectant ad initium primae disputationis, quo tempore et Alypius et Navigius adfuerant. De ceteris diebus nihil dicunt.

Duae etiam libri de beata vita partes Navigii pauca verba perscripta exhibent. In tertia eiusdem libri disputatione Navigii neque nomen neque verba insunt.

Reliquis disputationibus (quae C. Ac. II, III, De ord. I, II continentur) non interfuisse videtur, quamquam fieri potuit, ut tacitus adsederit.

Itaque Augustinus pietate commotus vel honoris causa magis Navigium induxit in dialogos, quam quia multa ab eo speranda erant.

Idem dicas de Adeodato filio, de Lastidiano et Rustico consobrinis. Ubique agnoscitur pius Augustini animus, qui etiam parva eorum magni facit. Consobrinorum sensum communem approbat, quamquam — id aperte fatetur — „nullum vel grammaticum passi” erant. (D. B. V. 6.)

Navigius praeterea copiam facit loquendi de loco quodam Benedictinorum vitae. Nam Vit. II, VIII, 8 legimus: „Navigius . . . . . bene mane discesserat (De Ord. lib. I no. 7).”

Istud „bene mane” quid sibi vult? Locus De Ord. I, 7 nihil aliud docet, nisi Navigium afuisse, cum disputandi de ordine initium fieret. Nec verisimile est eum eodem die pro-

fectum esse, quippe cum noctu, omnibus in lectis cubantibus, ea disputatio instituta sit. Sed quandoquidem Benedictini arbitrabantur, disputationem De Ordine primam fuisse eo die, qui triduanas de beata vita disputationes secutus est, et Navigius harum persona fuerat, potuit haec virorum doctorum esse mens: Navigius pridie colloquiis interfuit, postero die iam ante solis ortum afuit, ergo bene mane profectus est.

Contra quod licet dicere haec:

1. Prius ea, quae De Ord. I, quam ea, quae libro D. B. V. continentur, disputata esse <sup>2)</sup>).

2. (Sed quia de ea re aliter senserunt) hoc certe minime constare, Navigium tertio die, quo de beata vita disputatum est, in Cassiciaco commoratum esse.

3. Etiam si tertio D. B. V. sermoni interfuerit, ei satis temporis fuisse, ut ante vel post caenam in urbem iret.

Sed verisimillimum puto totum hoc de matutina Navigii profectione fluxisse e minus recta translatione eorum, quae Lenain de Tillement scripserat. Cuius haec verba sunt <sup>3)</sup>): „Navige . . . . estoit allé à Milan, lorsqu'il commença la livre de l'Ordre, et n'estoit plus à Cassiaque dès le grand matin.” Haec idem dicunt quod Augustinus: Navigium in urbem iisse, nec iam, cum de Ordine primum disputarent, adfuisse. Quando discesserit, non affirmatur.

---

<sup>1)</sup> Vit. II, VIII, 4.

<sup>2)</sup> cf. huius libri V, c.

<sup>3)</sup> Article XXXIX.

## CORRIGENDA.

|        |                |        |                |
|--------|----------------|--------|----------------|
| p. 1.  | Proposui       | scribe | Propositum est |
| p. 2.  | ad quae        | dele   | ad             |
| p. 4.  | utendem        | scribe | utendum        |
| p. 6.  | finitum        | scribe | finitam        |
| p. 7.  | solito         | scribe | solita         |
| p. 25. | ann. 2. quorum | scribe | e quibus       |
| p. 35. | Retractationum | scribe | Retractationum |
| p. 35. | edendivi       | scribe | edendive       |
| p. 46. | ad minimum     | dele   | ad             |
| p. 47. | occupent.      | scribe | occupent,      |
| p. 58. | incipian       | scribe | incipiant      |
| p. 73. | Erint          | scribe | Erunt          |
| p. 79. | dissiniliter   | scribe | dissimiliter   |
| p. 79. | percripta      | scribe | perscripta     |

## THESES.

## I.

Cassiciacum situm erat iuxta Mediolanum nec Pado flumine ab ea urbe disiuncta erat.

## II.

Ex Augustini epistula II, quae ad Zenobium data est, non apparet, Zenobium Cassiciacum unquam adiisse.

## III.

Disputationes, quae priore De Ordine libro continentur, habitae sunt ante disputationes libri De Beata Vita.

## IV.

Veri simillimum est, inter disputationes Contra Academicos nullam earum, quae servatae sunt, intercessisse.

## V.

Precationis, quae in exordio Soliloquiorum legitur, pars prima Patrem, altera Filium, tertia Spiritum Sanctum, quarta Unum Deum adit.

## VI.

Nebridium, cum ad eum epistula III daretur, iam omnia, quae praeter Soliloquia ruri scripta sunt, Augustini opera habuisse, non constat.

## VII.

Augustini C. Ac. II, 26 fragmentum Ciceronis non includit.

## VIII.

D. B. V. 10 „Quem cum modestae ac verecundae commotionis suae paeniteret”

Pro „modestae ac verecundae” legendum est „modeste ac verecunde”.

## XI.

Non facile diiudicari potest, quibus fontibus Augustinus in primis suis operibus usus sit.

## X.

Xenoph. Anab. I, IX, 5 verba, quae sunt τῶν ὑποδεστέρων, iniuria Rehdantz-Carnuth in editione ita interpretati sunt, ut sit genetivus comparativus; est enim genetivus partitivus.

## XI.

Iniuria Wolff-Bellermann in Soph. O. R. versibus 1047 sqq. offenderunt. (Cf. ea, quae annotaverunt.)

## XII.

Non est verisimile, Augustinum Platonis Phaedonem totum legisse, antequam opus De Moribus Manichaeorum scripsisset.



## XIII.

In Horatius' brief aan de Pisonen kan nog op andere en betere wijze eenheid en lijn geconstateerd worden, dan door Norden (*Hermes* Bd. 40; 1905) en Vahlen (*Sitzungsber. d. kön. Pr. Acad. v. Wiss.* Bd. XXXVI, 1906) en hun voorgangers gedaan is.

## XIV.

Door de litteratuur der oude Grieken gaat een trek naar het monotheïsme.

## XV.

Terecht bestrijdt Hirzel (*Untersuchungen* III p. 214 sqq.) de meening, dat Philo van Larissa een dogmatisch Platonisme aanhing.

## XVI.

Ten onrechte neemt Hirzel (*Untersuchungen* III p. 218 sq.) aan, dat Cicero den Academischen Sceptici een geheimleer toeschreef.

## XVII.

De bezwaren, die door Thimme en anderen tegen Augustinus' bekeeringsverhaal in de *Confessiones* zijn ingebracht, zijn voor het grootste deel ongegrond.

## XVIII.

Onwaarschijnlijk is de verklaring, die Van Ginneken (*Handelingen van het zevende Nederlandse Filologencongres* blz. 25) geeft van de uitdrukking „ik ben rut” in de beteekenis van „ik ben alles kwijt”: „Dit ‘rut’ is niets anders dan de eigennaam ‘Ruth’, de arme arenleester op het graanveld van den rijken Boaz.”

---

CONTINENTUR.

|  | P. |
|--|----|
| Praefatio . . . . .  | 1  |
| Caput I. De loco, tempore, personis . . . . .                                      | 4  |
| 1. De Cassiciaco . . . . .   | 4  |
| 2. De tempore . . . . .  | 7  |
| 3. De personis . . . . .   | 8  |
| Caput II. De dialogorum genere . . . . .   | 13 |
| 1. De Augustino scriptore . . . . .  | 13 |
| 2. Quid peculiare sit . . . . .  | 14 |
| 3. Quid Ohlmann Hirzelio opposuerit . . . . .                                      | 17 |
| 4. Quorsum tales dialogi spectent . . . . .  | 19 |
| Caput III. Quid interfuerit inter dialogos habitos<br>et libros scriptos . . . . . | 21 |
| 1. Non omnia ex tabulis in libros translata<br>esse . . . . .                      | 21 |
| 2. Non multum a tabulis recessum esse . . . . .                                    | 22 |
| 3. Quid certe mutatum sit . . . . .  | 24 |
| Caput IV. Quantum temporis ad colloquendum sumptum<br>sit . . . . .                | 27 |
| Caput V. Quo ordine disputationes habitae sint . . . . .                           | 29 |
| a. Quid constet de ordine . . . . .  | 29 |
| 1. Quoties aliquot continuis diebus disputa-<br>verint . . . . .                   | 29 |
| 2. Quando quaeque dierum series fuerit . . . . .                                   | 30 |

|   | p.     |
|---|--------|
| b. Sintne inter disputationes de Academicis aliae<br>interponendae . . . . .    | 31     |
| 1. Quae sententia adhuc vigerit . . . . .                                       | 31     |
| 2. De testimoniis Retractationum . . . . .                                      | 34     |
| 3. De Alypii profectioe . . . . .   | 37     |
| 4. Nonnulla facilius explicari, si ordinem<br>inverteris . . . . .              | 39     |
| 5. De „septem diebus” . . . . .   | 42     |
| 6. Quod argumentum solum restet . . . . .                                       | 43     |
| 7. Conclusiones certae . . . . .  | 45     |
| 8. De duobus locis adhuc neglectis . . . . .                                    | 45     |
| c. Prius de Ordine quam de Beata Vita disputa-<br>tum esse . . . . .            | 47     |
| 1. Cur ordinem invertendum esse putem . . . . .                                 | 48     |
| 2. Quid Benedictini et Tillemont sen-<br>serint . . . . .                       | 50     |
| 3. Quid Ohlmann senserit . . . . .  | 53     |
| <br>Caput VI. Quando libri compositi sint . . . . .                             | <br>57 |
| 1. Quid dicant Retr. I cap. I—III . . . . .                                     | 57     |
| 2. Primum librum C. Ac. separatim esse<br>editum . . . . .                      | 57     |
| 3. Deinde librum D. B. V. secutum esse . . . . .                                | 58     |
| 4. Duos De Ord. libros ante libros C. Ac. II<br>et III absolutos esse . . . . . | 59     |
| 5. Duos De Ord. libros simul esse editos . . . . .                              | 59     |
| <br>Caput VII. De Soliloquiis . . . . .   | <br>62 |
| 1. De temporum ratione . . . . .  | 63     |
| 1, $\alpha$ . De Soliloquiorum partibus . . . . .                               | 63     |
| 1, $\beta$ . Quando Soliloquia scripta sint . . . . .                           | 64     |
| 2. De loco Soliloquiorum . . . . .  | 72     |
| 3. De precatione Soliloquiorum . . . . .  | 72     |

|  | p.  |
|--|-----|
| Caput VIII. Quid Cicero in his operibus valuerit . . . . .       | 75  |
| 1. De Ohlmanni disputatione . . . . .                            | 75  |
| 2. De Drewniokii disputatione . . . . .                          | 80  |
| 3. Epilogus . . . . .  | 90  |
| 4. Num C. Ac. II, 26 fragmentum Ciceronis<br>contineat . . . . . | 96  |
| 5. De Dienelii opusculo . . . . .                                | 98  |
| Caput IX. De Augustini invento . . . . .                         | 100 |
| Caput X. Vergiliana quaedam indicantur . . . . .                 | 111 |
| Caput XI. Minores quaestiones . . . . .                          | 114 |
| 1. Num omnia, quae disputata sunt,<br>perscripta sint . . . . .  | 114 |
| 2. De Navigii praesentia . . . . .                               | 115 |
| —————  |     |
| Corrigenda . . . . .   | 118 |
| Theses . . . . .   | 119 |





e # 8536

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES  
10 ELMSLEY PLACE  
TORONTO 5, CANADA.

8536.

